

# **Dissertatio inauguralis medica de melaena ... / Jos. Valentinus Girard.**

## **Contributors**

Girard, Joseph Valentinus.  
Royal College of Surgeons of England

## **Publication/Creation**

Argentorati : Typ. J.H. Heitz, 1789.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/apy9k45t>

## **Provider**

Royal College of Surgeons

## **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*12*  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O INAUGURALIS

MEDICA

D E

M E L A E N A

Q U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE

P R O L I C E N T I A

S U M M O S I N M E D I C I N A H O N O R E S

E T P R I V I L E G I A D O C T O R A L I A

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I

E R U D I T O R U M E X A M I N I S U B J I C I T

A R G E N T O R A T I

J O S . V A L E N T I N U S G I R A R D

P I T H U E R I A N O - A U R E L I A N E N S I S

I N P RÆC L A R A P A R I S I E N S I A C A D E M I A A R T I U M M A G I S T E R

N E C N O N

R E G I A E S O C I E T A T I S M E D I C A E E D I M B U R G E N S I S S O C I U S

A . D I E M X X I I I J U N I I A . R . S . M D C C L V X X I X

H . L . Q . C .


---

A R G E N T O R A T I

T Y P I S J . H . H E I T Z , U N I V . T Y P O G R .



V I R O  
I L L U S T R I S S I M O  
C A R O L O   L U D O V I C O  
F R A N C I S C O  
D E P A U L E   B A R E N T I N  
D O M I N O   D ' H A R D I V I L L I E R S  
E Q U I T I  
S I G I L L I   R E G N I   F R A N C I A E  
C U S T O D I  
R E G I O R U M   O R D I N U M   I N S I G N I B U S  
I N P R I M I S   D E C O R A T O  
M A E C E N A T I   M U S A G E T A E.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22482258>

---

---

Interest enim, fatigatio morbum, an fitis,  
an frigus, an calor, an vigilia, an fames  
fecerit; an cibi vinique abundantia; an  
intemperantia libidinis.

A. C. CELSUS præfat.

---

*Quum plures annos in artis medicæ studium im-  
pendisse & præclarissimas academias perlustrasse;  
ex Austria redux & jam aura & quasi luce patriæ  
recreatus, gestiebam tandem Alsatiam post exilium  
tam longum revisere. Statuebam enim, in hujus  
provinciæ, omnium Galliæ, meo judicio, optimæ,  
urbe Argentorati hiemare. Delectabar multis ca-  
rissimis familiaribus adhuc frui posse & inter do-  
ctissimos Viros versari, quorum ego excelsum ani-  
mum, probibatem, sanctissimamque fidem olim exper-  
tus eram. Mirabar iterum hujus urbis opportunita-  
tem, quæ Germaniam, Helvetiam inter & Galliam  
jacens, omnium bonarum artium, litterarum, omnis-  
que generis scientiarum quasi portus mihi videbatur.  
Quæ preterea magno eruditissimorum virorum nume-  
ro exornata nobilitataque fulget, in quibus philo-  
sophiam, doctrinam simul & elegantiam junctas facile  
reperieris. Mirabar etiam medicarum scholarum in-  
frequentiam, & ingemui! Cum tam ampla sit in hac*

academia ad hanc artem supplex, qua, nescio utrum ulla alia academia gloriari possit? Habet enim hortum botanicum magnificum, Amphitheatum anatomicum pulcherrimum, nosocomia multa, exquisita musæa illustriſſimorum HERRMANN, SCHURER, EHREMANN &c. publicam bene ornatam Bibliothecam & locupletissimam, tandem Professores celeberrimos & elegantissimos. Igitur omni cæco stupidoque præjudicio vacuus, decrevi, hic per sex menses, doctiſſimas, illustriſſimi, sapientiſſimi & elegantiſſimi HERRMANN de materia medica & arte formulandi, disertiſſimi & peritiſſimi LAUTH de Anatomia & Chirurgia experientiſſimi, humaniſſimi, & doctiſſimi SPIELMANN de praxi & pathologia generali, lectiones excipere. Nosocomia etiam adii, sed nefandum! Nullas inveni clinicas ædes! Cui defectui ut succurrerem, cum Celeb. SPIELMANN meo vetere hospite & amico & dilectiſſimo præceptore ægrotantes quotidie invisi. Interdum etiam domum infantium infelici forte caris parentum amplexibus nunquam gaudentium. Evidem etiam quasi Augur fieri incepi, cæli mutationes tempeſtatuumque vicissitudines, ter de die, seſedulo observans notansque, ut illas inter & morbos cum endemicos tum epidemicos rationem detegere possem. Sed fruſtra. Nullus enim extitit vel endemicus vel epidemicus morbus. Nosocomium civitatis etiam, ad hunc finem, bis circiter singulis hebdomadibus adii, ibique cura & humanitate experientiſſi-

*mi medici honestissimique LAURENT, multos & rariſſimos morbos exploravi.*


*Dum his studiis naviter incumberem & ineunte  
vere argumentum dissertationis quærerem, ut scilicet,  
in p̄eclarā MONSPELLIENSI Academia Lau-  
ream Apollinarem ambirem; in mentem subiit, hanc  
potius in Argentoratensi illustri Academia petere.  
Congruum enim mihi videbatur & decorum in ea  
urbe curriculum meum claudere in qua olim primos  
ignes & aculeos ad p̄eclarissimam artem receperam\*).  
Igitur quum iam proficisciendi tempus instaret &  
discendi cupidine incensus, copiaque librorum doctissimi  
SPIELMANN alleclus septem argumenta elabo-  
rare, unum elegi & in diatribes formam redigi;  
quam pudet me adeo rudem & incomptam & imma-  
ture exclusam viris tam doctis & elegantibus offerre.  
Sed velim illam habeant, tantum ut voluntatis mee  
significationem, illorum patrocinio valde egentem.  
Morbum Melænam consulto elegi, quia mihi gravis  
& acutissimus videbatur, & quod eam præcipue vi-  
rrorum classem adoritur, quæ fortissimos animos, fi-  
delissimos amicos, optimos conjuges patresque fa-  
milias, magnos poëtas, oratores, philosophos, im-  
perialorum gubernatores, tandem animos ad quodcun-*

\*) Decem Annos ante, lectiones de re botanica a Celeb. SPIELMANN, & de historia rerum naturalium ab illustr. HERRMANN audieram & Celeb. LOBSTIN familiariter usus seram.

*que præclarissimum & arduum promptissimos, in se complectitur.*

*Argumentum ratione, quæ dicitur analyticæ, digessi; quæ mihi cæteris anteponenda videtur.*

*Quod si in disputando multorum excellentium medicorum sententias me paulo liberius exagitassem quis putaret: ne id me arroganter fecisse credant sapientes, quæso precorque. Omnes enim illos & diligere & venerari profiteor. Ecquis enim, plus viros medicos diligit quam ego, cui quum multæ aliæ jucundiores vivendi rationes otiumque litterariorum arridebant, illam elegi quæ austerrima sit; quia scilicet homines meliores reddere & ad beneficiendum, quotidie promptiores efficere mihi videbatur. Multi etiam me interdum non sat graviter eloqui dicent. At non opinor Apollinis filios semper horrido cultu, rugosa fronte, quasi mortis prænuncios pavorem ubique circum se injicientes incedere debere. Decet potius illos, hilares vultus induere & quoddam faustum reddituræ valetudinis omen præ se ferre.*



## SECTIO I.

*Narrationes morborum, consecaria ex factis fluentia; generis plurimumque specierum definitio.*

*Observatio 1. ex Diario meo de prompta.*

*Die 14. Februarii ann. 1786; receptus est in nosocomii Edinensis ædibus clinicis, (tunc curæ illustr. HOME commissis) Will. Haundy, vir ætatis 40, temperiei melancholicæ, summa debilitate quasi resolutus, ore flavo, squalente, lurido, nec mentis compos. Interrogatus; respondit, se, ante 10 hebdomadas, postquam magnum frigus perpeccus erat, gravissima tussi correptum fuisse, cum horroribus & sudoribus, alternatim sese excipientibus: hæc febrilia symptomata jam cesserunt. Nunc spiritu valde laborat & gravi tussi, pectoris dolore, cephalalgia, nausea, aurium tinnitu, anorexia, siti, alvoque potius solutiore: omnibus corporis partibus male se habet & dolet; ad summam virium prostrationem accedunt nocturni sudores; arteriæ ad*

carpum 96 quocumque minuto pulsant. Ante hunc morbum, paralyzin sinistri brachii passus est, quæ nunc ope epispastici inter scapulas admoti, tota fere curata est: nullum adhuc, adversus præsentem morbum, remedium adhibuit; cæterum impotens est de statu suo distinctam notionem dare.

*Die 15.* Pulsus 96 & potius natura paulo validior, tussis perseverat, adest leve delirium.

*Fiat venæsecchio, ad 3 viij.*

*Capt. Julep. mucilaginosi. 3<sup>fl</sup>. 4. quaque hora;  
servet tenuissimam diætam.*

*Die 16.* Pulf. 108, non natura debilior; sanguis emissus viscosus; hoc mane leves in abdomine dolores expertus, & 5 minutis post, circiter libras duas sanguinis fœtidissimi grumosi ex ano deposuit; vehementer tussit.

*R. Pulv. terræ Jap. gr. xv.*

*Rhei gr. v.*

*Syrup. simpl. quant. suff. ut ft. Bolus.*

*D. S. capiat statim & repetat hora somni & mane.*

*Repet. etiam Julep. mucilagin.*

*Die 17.* Pulf. hesterna vesp. 108, hoc mane 120 & debilis; *dejectiones sanguinolentæ ejusdem indolis* hesterna vespera & hoc mane; somni meliores; urina colore intenso; lingua arida, nigra; fritis fatis magna.

*Repet. statim bolus ut heri, & Julep. mucilag. ut antea.*

*Capiat jusculi tenuioris 3*iv*, altera quaque hora.  
Applicetur emplast. epispaſt. bene camphoratum  
parti pectoris dolenti.*

*Die 18.* Pulf. 109, cuius vis naturæ proxima; nullæ sanguinis dejectiones; tussis levata; urina turbida cum multo sedimento. Duo ultimi boli nihil effecerunt. Emplastrum nullus adhuc effectus.

*Capt. Julep. mucilag. acidulati 3*iiii* 4. quaque hora.  
Omittantur cætera remedia.*

*Die 19.* Pulf. 104, & potius validior; *tres dejectiones liquidissimæ & flavæ absque sanguine.* Emplastrum suum effectum fortitum est; abdominis doles circa umbilicum levati; lingua arida, nigra; fitis; tussis minor; levis orthopnœa.

*Fiat venæfæctio ad 3*vij*.*

*Repet. Julep. mucilag. & juscula.*

*Die 20.* Pulf. 112 & adhuc potius validus quam debilis; sanguis emissus paululum viscosus; dolores levati; *tres liquidissimæ dejectiones.*

*Repet. venæfæctio ad 3*vij*.*

*Die 21.* Pulf. 112 & debilior; sanguis in prima patella viscosus, in secunda naturalis; doloribus fere liber, exceptis quibusdam in abdomine; urina hoc mane turbida, multum deponens; lingua nitida & humida; duæ dejectiones liquidæ & foetidissimæ.

*Repet. Julep. mucilag. acidul. ut antea.*

*Die 22.* Pulf. hestern. vesp. 120; hodie 112; una liquidissima dejectio; appetitus cibi rediit; tussis frequens sed minus gravis; continuentur omnia.

*Die 23.* Pulf. 124 & debilis.

*Repet.* Julep. mucilag. acidul. 3ij 4. quaque hora.

*Capt.* infusi Japon. 3j. 3. quaque hora.

*Diebus 24, 25.* Pulf. 112; secessus naturalis.

*Omitt.* inf. Japon. & Julep. acidul.

*Capt.* Julep. mucilag. 3B. 3. quaque hora.

*Die 26.* Pulf. heft. vesp. 102; hodie mane 109 & potius validior; pectoris dolores multum levati; tussis levis.

*Fiat venæsecēt. ad 3ix.*

*Repet.* Julep. mucilag.

*Die 27.* Pulf. 120 & paululum debilior; sanguis extractus paululum viscosus; duæ dejectiones naturales; crebro tussit hoc mane; appetitus cibi semper bonus.

*Contin.* Julep. mucilag. & Fuscula.

*Martis die 1.* Pulsus 120 & vi media; tussis; dyspnœa.

*Contin.* Remedia ut 27. Aprilis.

*Diebus 2. & 3.* Pulf. heft. vesp. 108, hodie mane 104; tussis severa.

*Cap.* decocti Verbasci 3ij. quater de die;

*omitt.* Julep. mucilag.

*Die 4.* Pulf. heft. vesp. 120, hodie nunc 109; nullus ventris fluxus nec sudores soliti.

*Contin. decoēt. Verbaſci.*

*Diebus 5. & 6.; evidenter convaleſcit. Die 9. in ſanitatem perfectam reſtitutus nosocomium reliquit.*

### E P I C R I S I S.

Hunc morbum, quem fedulo obſervavi ac deſcriphi, omnia dictitante magiſtro, ſingula quoque die notans; nominavit celeberrimus præceptor HOME Melēnam, ſeu *morbū nigrum*, & ei lu- benter aſſentior. Enimvero, ſqualidus, luridus, fla- vus oris color, & univerſa virium proſtratio hujus ægrotantis, cum in noſtrum nosocomium fuſceptus eſt, aurium tinnitus, nauſeæ, exſcretaſes materieſ cæruleo nigreſcentis, delirium quo poſtridie captus eſt, dejectiones copioſæ ſanguinis atri & foetidiffimi in diebus 16. & 17. &c. hunc morbum ſat clare ſigni- fican. Verique ſimile eſt, (non enim mentis com- pos erat) illum, plures hujusce indolis dejectiones ante habuiffe, quam in nosocomium afferretur. Jam vero, ad quam Melēnæ ſpeciem, caſus hic noſter referendus eſt?

Equidem, Melēnam, femper exiſtimavi morbum haud parvi momenti. Acutissimus enim eſt, ex im- provifo, & truci horribilique vultu prodit; nec raro extiſtos. Attamen nullus adhuc extitit morbus, qui majoribus obvolveretur tenebris; quaſi celeberrimis medicis, aut de eo penitus filere, aut illum, cum omnibus ſui affinibus, ex conſulto & ut ita dicam,

icto inter se fœdere, confundere, pergratum fuisset.  
 Hinc, diversa synonyma & fibi repugnantia illi dedita.  
~~Μελαίνα νοσος~~ HIPPOCRATIS; *Cholerica* MORONII &  
 GUARINONII; *Secessus niger* FRIDER. HOFFMANNI &  
 MORGAGNI; *Fluxus spleneticus* GORDONII &  
 SELLE; *Nigræ dejectiones* SCHENCKII; *Dysen-*  
*teria splenica* BALLONII; *Morbus niger* celeb. HO-  
 ME, VANDERMONDE, VARNIER, BONTÉ, CAMPAR-  
 DON, GLATIGNY &c. cæterorumque egregiorum  
 Medicorum, qui *diarium med. Parisin.* suis obser-  
 vationibus ditarunt & ornaverunt. Omnes autem,  
 medici, qui morbo jam nimis longo & inveterato,  
 laborantes ut ante veterum statuas semper proni sint  
 & venerabundi, omnia a) omnino in unius HIP-  
 POOCRATIS operibus, deprehendi posse contendunt,  
 hæmatemefin, de qua agit ille artis medicæ pater,  
 & sub titulo ~~μελαίνα νοσος~~, pro nostro morbo sumpse-  
 runt b). At HIPPOOCRATIS ingenium summamque  
 viri doctrinam, ad temporum ejus rationem,  
 mirari se profitentur! sapienter id quidem; atque  
 utinam imitarentur & suimetipſis oculis, non alienis,  
 videre vellent! Urgent: Senior HIPPOCRATES,  
 ergo prudentior. Minime; contra recentior, & in-  
 fans doctrina sua & curta illi supellex; nempe, qui  
 vix prima artis rudimenta attigit: *nihil est enim*

a) *V. differt. inaugur. MUSÆI de HIPPOOCRATIS auctoritate  
in Jure tam Civili quam Canonico.* Giss. 1640.

b) *V. Hipp. L. 2. de Morbis.*

*simul & inventum & perfectum*, ait CICERO. Non igitur miror, celeberrimos artis magistros, qui hac occœcati superstitione, morbum nigrum in HIPPOCRATE inveniri volunt, tam multa sibi repugnantia & a veritate aliena scripsisse. Dum enim evidentia perculsi, ex conscientia loquuntur, illum inter acutos numerare coguntur, moxque simul inter chronicos; cum scilicet, illum ex HIPPOCRATE eruere nitantur. Agit enim HIPPOCRATES, loco citato, de vomitu symptomatico, ergo de chronicō & longo morbo. „Et una cum ætate (ait) aufugit morbus, & cum corpore senescit. Inter illos pudet me magnum celeberrimumque FRID. HOFFMANN referre c), qui tam bona hujus morbi exempla, observationesque nobis tradidit in suo *Med. rationalis systemate*. In eundem errorem inciderunt & THEOB. MATTH. GASSER d) & J. JOSEPH. SCHONINGH e), GESNER f) & D. BAUMES g) & fere omnes, paucis exceptis, qui de hoc morbo scripserunt.

Quos omnes inutile est hic commemorare & ca-

c) V. *Differt. de Morbo nigro* HIPPOCR. Hal. 1701. respond.  
J. Col. HERTIO.

d) V. hujus *differt. inaug. de Morbo nigro* HIPPOCRAT. Argent. 1761. n. 7. p. 3.

e) V. hujus *differt. inaug. de Morbo nigro* HIPPOCRAT. Groning. 1768.

f) V. *Sammlung von Beobachtungen... die schwarze Krankheit betreffend*. Nördlingen.

g) V. *Journal de Med.* T. 57. p. 524.

pitatim refellere. Id enim optime jam fecit *Mac  
rechal de Rougere*, in *Journal de Med.* V. 37. p. 217.  
 Præterea illos sui veneratores jam ipse HIPPOCRA-  
 TES, loco citato, refelliſſe mihi videtur, cum dicit:  
*& abstineat æger ab ebrietatibus & venere; si vero  
coierit, jejonus fomentis utatur;* quid, boni Dii!  
 simile HIPPOCRATES ab homine vera melæna pro-  
 strato timere potuiffet? AVICENNA, ARCU LANUS,  
 JUNKERUS, ETTMULLERUS, RIVIERUS, SENNERTUS,  
 FERNELLIUS, BOERHAAVIUS, SYDENHAM, HUXHAM,  
 STOLL, BURSERIUS, vel omnino de ea tacuerunt, vel  
 paucissima obiter; & plerique, cum vel Hæmatemesi  
 vel Hepatirrhœa, vel Dysenteria, vel Cholera con-  
 fuderunt. W. CULLEN præceptor meus dilectissimus  
 & in omnibus artis medicæ provinciis tam bene  
 meritus & in Nosologica peritissimorum facile prin-  
 ceps, hunc morbum omisit & in elementis suæ pra-  
 xis non nisi obiter perftrinxit h). SAGAR & SAU-  
 VAGES, genus imperfecte definierunt. Hic præterea  
 difficultatem in speciebus a se invicem distinguendis  
 candide fatetur „ *desideratur*, ait, *hujus generis divi-  
 „sio in species, quarum signa sint magis distincta* ” \*).  
 LIEUTAUD i) illum vocat *fluxum Mesaraicum*, nec  
 de eo verba facere dignatus est. RUD. AUG. VOGEL k)

---

h) V. *First lines of physic* n. 771. 1029. 1489.

\*) V. *Nosf.* Cl. 9. Ord. 2. G. XI.

i) *Précis de Méd. prat.* p. 312.

k) *De Cognoscend. & Cur. morb.* P. I. p. 221.

fluxum, qui dicitur *hepaticus*, pro illo sumpfit,  
CHRIST. GOTTL. SELLE<sup>1)</sup> vocat illum *fluxum splenecticum* & cum nescio qua atra bile imprudens confundit: „aber es ist oft nur ein Abgang von galich-„ten Unreinigkeiten, wo die Galle durch eine ge-„wisse Einwirkung des Nerven-Systems, schwartz „gefärbt worden ist”. Unde, mihi persuasum est, illum experientissimum medicum morbum nigrum nunquam propriis vidisse oculis. Nec multo plus luminis & claritatis sperandum ex tractatibus & dissertationibus de industria scriptis; quorum in numero sunt, 4, quos ex humanitate doctissimi LAUTH accepi, & de quibus singulis paucis dicere, non abs re alienum mihi videtur.

1) FRID. HOFFMANN. jam *citata dissertatio*. 1º. Fattetur, morbum gravissimum, sat frequentem, nec hucusque bene cognitum; plurima profert & citat exempla Melænæ ex REALDO COLUMBO, WEDELIO, FELICE PLATERO, BONNETO, quæ evidenter aut ad symptomaticam Melænam, aut ad hæmatemefin referenda sunt; & ubique Melænam veram, idiopathicam, cum symptomaticis, aut chronicis ex obstruktione aut scirrho viscerum; aut cum hæmatemefi ex similibus causis, vicissim permiscuit. Nec fibi constans est: postquam enim dixerat N°. X. „sæpiſ-„fime hoc malo affecti conqueruntur de atrocissimis

1) V. *Med. Clinica* p. 374.

„ colicis doloribus. Et N°. XI. ex dictis, iam facile ratio elici potest, quare noster affectus nunquam fere accedit, nisi precedente gravi dolore tensivo, contractiorio lateris sinistri, dorsi aut ventris; & colicis terminibus antecedentibus”; illum a Dysenteria N°. XVIII. distinguere contendit, absentia horum signorum. „Dysenteria, ait, cum sævissimis tormentis & spasmis abdominis & umbilici regionis doloribus existit: dum Melæna morbus chronicus est, & tanta atrocitate tormentorum destitutus”. Notandum, quod jam morbum pro acuto dedit.

2) Jam citata MATTH. GASSER *dissertat.* Primum, non ab illis dissentire audet, qui morbum nostrum ab HIPPOCRATE bene descriptum putarunt. Post tamen, illius præcipuos characteres sat bene exaravit; & signum pathognomonicum novit. Sed N°. VII. rursum, morbum cum hæmatemesi confundit. Et N°. XIII. vulgari, ut ita dicam, furore correptus omnia ex HIPPOCRATE eruendi, incohærentia & sibi repugnancia dixit: morbum simul chronicum & acutum, idiopathicum & symptomaticum, faciens. Hinc inutilis & claudicans & anceps curandi methodus, ut videbitur infra.

3) Ex opere D. GESNER supra notato; incipit haud breviter & fusius narrat historiam morbi, a nostro longe diversi, ex fæcibus retentis & obstructionibus; quem, nescio qua ratione fretus, perperam

*morbum nigrum* vocat *m*). Huncque morbum longum & pessimum asserit. Nullo meliore jure affirmat, termina ventris & colicos dolores, Melænæ symptomata esse; & quidem essentialia. Nec melius de causis & curatione locutus est. In universum, sepe diu & inutiliter torquet, ut expedit, quo modo morbus longe antea prævideri & præcaveri possit, quam prodeat; dum nihil fere, aut perobscura dicit, de illo distinguendo, cum revera adsit; obscuriora vero de curandi methodo.

4) JOAN. JOSEPH SCHONINGH. celeb. auctor ex ea secta est, quæ nondum ex umbiis ARISTOTELICIS in lucem prodiiit. Ex quibus si quæritur, ubi demonstratio? cur ita sentitis? respondere solent, IPSE DIXIT. IPSE autem est semper ARISTOTELES aut HIPPOCRATES aut forsan BOERHAAVIUS. Quidquid sit; autor sic incipit: „Morbus niger ad chronicos „primum, attamen tandem ad acutissimos referen- „dus”. Postea in 5 capita totum dividit. *In pri- mo*; de atra bile agit, tanquam materie Melænæ. Ibi, multa præclara quidem, & eruditissima e veterum culina atque recentiorum officinis, cum mechanicis tum chemicis deprompta. Unde concludit

*m)* Londini cum illustr. M. Doct. SKEET amicissimo meo & præceptore ægrotantes invisebam. Morbum vidi huic prorsus similem in muliere, ex colo coangustato, unde pertinax alvus, intestinorum exulcerationes, mors. Sed ne ullum morbi nigri vestigium.

„ sanguinem aut materiem morbificam Melænæ , ad  
 „ acidum vergere & tamen vasa solvere . Quod do-  
 „ cet , ait , ars culinaria , in qua aceto immergu-  
 „ tur carnes , ut absque putrefactione , sensim tene-  
 „ ræ & edules reddantur &c . ” Secundo capite ; hi-  
 storiam Melænæ ex HIPPOCRATE sumit & ad cœlum  
 laudibus effert . Moxque in opem inclamans Mecha-  
 nicam , Chemiam , Hydrostaticam , Hydraulicam ,  
 Dynamicam &c. tanta me colluvie rationum ex anti-  
 quata Philosophia , tantoque fragore verborum græce  
 sonantium & admirabili eruditione conturbavit , ut  
 cephalalgia , tinnitus aurium correptus & vix men-  
 tis compos , me ad facta contulerim , & obserua-  
 tiones , sed frustra , quæsiverim . Attamen , his unis tota  
 nititur ars nostra , nec , (ut autoris armis utar) video  
 HIPPOCRATEM , CELSUM , SYDENHAM , tam amplissimo  
 verborum testimoniorumque fastu , morbos tra-  
 ßasse . Hæc enim pompa , superbaque luxuries , ali-  
 quid ad palæstram aut Cathedræ dignitatem conferre  
 potest ; ad salutem generis humani , aliquanto minus .  
 Prætermitto Diagnosin & curandi methodum , ut  
 pote nec bonas , nec propria Minerva , nec duce  
 experientia inventas .

Longe melius idem argumentum elaboravit J. BER-  
 BILLON Doct. Monsp. n) attamen adhuc de genuino

hujus morbi charactere incertus fertur, & illum male  
cum cholera confundit o).

Celeb. HOME, in Epicrisi sua de tribus aliis casibus Melænæ, de quibus infra, cunctatur etiam, & valde incertus de diagnosi & indicationibus hujus morbi mihi videtur. Putat enim, illum saepe symptomata esse obstructionum, scirrhorum, aliorumque viscerum morborum, & tunc funestum pronuntiat. Attamen fatetur unam speciem veram idiopathicam & primariam esse, quam non periculofam censet. Multi celeberrimi acutissimique medici, plurima morbi nostri exempla in *Journal de Med.* ediderunt; quorum, multa, evidenter symptomatica, pro veris dederunt. Idem, de exemplis ab HOFMANN & SAUVAGES allatis dicendum.

Ex tanta confusione, totque discrepantibus sententiis, quomodo memet expediam? Experiamur tamen; utinam non nimis arroganter fecisse videamur. Ad hunc finem nihil utilius putavimus, quam exempla, cum aliorum, tum meis ipsissimis oculis usurpata, in unum cogere, inter se ita conferre, ut ex iis symptomata morbi pathognomonicum clarius elucceat: inde, quid de causis, quid de prognosi, curandique methodo sentiamus, tam breviter quam poterimus, exponere in animo est. In quo non modo breviter de unoquoque nobis dicendum, sed

---

o) V. ibid. p. 2. n. 8.

etiam prætereunda videntur esse permulta, ut illu-  
striora tantum & essentialia phænomena delineentur.

*Obs. 2.* quæ ex D. HOME opere clinico prima est p). Vestiarius ann. 27. natus, cum in Nosocomium suscipiebatur, *jam multas libras materiei liquidæ, nigrae, splendentis & fætidissimæ alvo deposuerat: maxima debilitate,* nonnullisque colicis doloribus affiebatur, simul cum gravi cephalalgia; arteriæ ad carpum pulsabant singulo horæ minuto 104; nec, dum secessus sanguinei manferunt, infra 100. descendederunt. Intra tres hebdomadas convaluit.

*Observ. 3.* quæ ex D. HOME opere clin. secunda est. Virgo ann. 25. nata, postquam per tres menses sat crebro vomitu laboraverat, tandem *multum materiei nigrae, cum fluido sanguine mixtæ deorsum fursumque ejicit;* cum acutis colicis doloribus & *animi deliquiis, quorum unum ultra 10 minuta duravit;* arteriæ ad carpum primis diebus 80, postea 90, & tandem 70 pulsarunt. Intra 14 dies ad sanitatem rediit.

*Observatio 4.* Quæ ex D. HOME opere clin. 3. est. Agricola 43 ann. natus, postquam magnum, per noctem, frigus passus erat, queri cœpit *de doloribus, & debilitate crurum, anorexia &c.* 14 diebus interpositis, *crebro vomitu correptus, ipsi dolebat & ventriculus & abdomen.* Pluribus emeticis & catharticis

*epotis, materiem alvo deposuit nigerrimam, cum sanguine mero; antecedentibus animi deliquiis & Cephalalgia. Pulsus frequens absque febre: repetitis catharticis cum Tart. stibiato aqua multa diluto, multas iterum dejectiones similes habuit; sextam syncopen, 5 similes adhuc dejectiones secutæ sunt: & vomitus & secessus adhuc 12 vel 14 dies perstiterunt, postea tandem convaluit.*

*Observatio 5. Ex FR. HOFMANN. 2<sup>da</sup> q) Juvenis jam diuturna febre quartana fractus, cum longum iter pedibus confecisset, & rixas cum sodalibus habuisset, incidit inopinato in vomitum nigrum, largius & aliquoties erumpentem; simul secesserunt per alvum, fœces instar picis nigræ & foetidissimæ; sub his, æger saepius animi deliquium, si tantum erigeret corpus, passus, intra 24 horas expiravit.*

*Observatio 6. Ex eodem, quæ tertia est.*  
*Femina sexagenaria, plethorica, sedentariæ vitæ & crassiori victui addicta; post diuturnam mæstitiam, conquesta est aliquamdiu de lassitudine corporis, cum dolore in sinistro latere. Cum aliquando curru vehetur & simul vento frigidiori corpus exponeret, vomitu ejicit magnam materiei nigrescentis copiam; mox eadem etiam & similis coloris per alvum secessit cum fætore ingenti. Ipsa autem sub his deje-*

---

g) V. FR. HOFFM. *Med. ration. syst.* V. 4. P. 2. Sect. 1. Cap. 3.  
*de vomitu cruento & secessu nigro,* in - 4. ed. 2. Halæ M.  
 1734.

*etionibus, aliquoties redeuntibus, animi semper paf-  
fa est deliquium. Intra duas hebdomadas morbo  
succubuit.*

*Observatio 7. Ex eodem septima.*

Caufidicus quadragenario major, vino deditus,  
post magnam crapulam, *ingentem vim atri san-  
guinis sursum & inferius ejecit. Hinc dejectionibus*  
*effœtus & œdematosus intra bimestre occubuit.*

*Observatio 8. Intra Melænæ exempla a SAUVA-  
GES relata r), notanda venit species, quam ille  
ex falsa opinione, quod ex vitio splenis oriatur,  
*spleneticam & cholericam GUARINONII vocat. Ado-*  
*ritur, inquit, melancholicos post febrem & peripneu-  
moniam. Pulsus est debilis, intermittens, non febri-  
lis, vires prostatæ, facies plumbea, materies rejectæ  
per inferiora sunt nigræ, unguinosa, fætidissimæ. Di-  
cit, se illam vidisse 1°. In moniali septuagenaria.  
2°. In mercatore, & quater in nosocomii senibus  
observata fuit; in hac proiecta ætate fere semper  
lethalis.**

*Observatio 9. Ex D. VARNIER s).*

Vir sexagenarius corpulentus & obesus, incidit  
*inopinato, & nulla cognita causa, in magnam de-  
bilitatem & virium prostrationem; multa expertus,*  
*absque*

r) *V. Nosol. Claff. 9. Ord. 2. G. XI.*  
s) *Journal de Méd. par MM. VANDERMONDE & A. ROUX.  
Vol. VI. p. 83. ann. 1757.*

*absque febre & dolore, animi deliquia; quæ mox sequebantur amplissimæ dejectiones materiei nigræ, partim duræ, partim liquidæ, cædem redolentes & fætidissimæ.* Postquam per 8 dies magnam vim sanguinis nigri, ejusdem odoris, alvo deposuerat; tandem ope acidorum vegetabilium, clysmatum & ecoproticorum convaluit.

*Observatio 10. ex eodem secunda.*

Pauperrimus senex, simili morbo tentatus & omni ope destitutus, in palea jacens, brevi superveniente gangræna, expiravit.

*Observatio 11. ex eodem tertia.*

Operarius quidam ædium tector, uxori conjunctus, sed, saltem in cibo & potu, moderatus, statura procera & strigosus, mense Novembris *sese subito debilem fieri, nulla cognita causa, sentiebat; deficiebat animo, moxque multum sanguinis atri & fætidissimi alvo deponebat.* At ope superioris curandi methodi, scilicet acidorum, clysmatum & ecoproticorum, intra paucos dies a morbo liberatus, postquam eadem animi deliquia & sub his easdem dejectiones iterum passus erat. Duobus annis elapsis, in eundem morbum rursus incidit, a quo etiam intra 6 dierum spatium liberatus fuit, ope syrupi aceti, & cassiæ acidulatæ.

*Observatio 12. ejusdem quarta.*

Alter vir, circiter ann. 52 natus, strigosus, impiger, laboris amans & patiens & ab omni victus

excessu temperans *sensim Martio mense vires amittit, orisque colores, multa animi deliquia passus, sub quorum finem, abdomine dolente, alvo deponebat materies atramento similes & cædem, horrendum diētu, redolentes: pulsus parvus absque febre, contraētus, vix sensilis.* Effentia Rabeliana, clysteres mollientes, aqua cassiae, vinum *Aloniense*, jufcula, illum, intra 20 dies, quamvis tempestas obstaret, in sanitatem restituerunt.

*Observatio 13. D. BONTÉ t) prima.*

Sacerdos circiter 55 annos natus, temperiei melan-cholicæ, pleuroperipneumonia laborabat; quinto morbi die incœpit materiem cæruleo nigram excreare; ipsi vultus collapsus, color plumbeus; pulsus debiles, intermittentes, exiles nec crebri. Post longum animi deliquium, alvo secessit ingens vis materiei atræ, partim grumosæ, partim liquidæ, & odoris cadaverosi, fætidissimi: postero die vitam cum meliori forte commutavit.

*Observatio 14. ex ejusdem D. BONTÉ secunda.*

Alter sacerdos, doctoris Medicinæ frater, 22 ann. natus, immoderato studio effœtus, gravi melancholia affectus, cum ex febre putrida, in qua per 17 dies justo sæpius purgatus fuerat, convaleſceret: ecce tibi subito, multa animi deliquia, absque dolore, aut ventris duritie, passus, alvo deposuit materies

*atramento similes cædem putidissimam valde redolentes. Per 8 dies eadem & crebra animi deliquia, quæ sequebantur similes dejectiones absque dolore; pulsus debilis, exilis nec creber, sed ante dejectiones contractus, & sub illis intermittens. Cardiacis, nutrientibus, acidis, cæterisque auxiliis adhibitis, paululum convalescebat; sed spatio aliquot dierum interposito, omnia symptomata redierunt & recruderunt; tandem, optimi fratriis cura, sanus evasit.*

*Observatio 15. ex ejusdem D. BONTÉ tertia.*

Agricola annos circiter 55 natus, amissa sua dilectissima conjuge, in gravem mœrorem & melancholiā incidit: dolorem in hypochondrio sinistro per unum mensē expertus est; quo evanescente, *debilitate subita & maxima correptus nausea, obtuso ventris dolore tentatus, extremitatibus frigidis, & sudore viscofo perfusus, per superiora & inferiora, sanguinem fluidum atrum pici similem & odoris cadaverosi atrociter fætidi rejicit; pulsus erat durus, haud creber & valde intermittens. Ope acidorum intra quinque dies convaluit; eccoproticis & optima diæta valetudo confirmata est.*

*Observatio 16. ex ejusdem D. BONTÉ quarta v. infra ubi de Melænis symptomaticis agitur.*

*Observatio 17. ex D. MERLIN u).*

Virgo ann. 29. nata, temperiei siccæ, acris & bi-

u) V. J. de Méd. Vol. VIII. p. 517.

liosæ; postquam diuturnis ærumnis, mœstisque sollicitudinibus vexata fuit; *ex inopinato cruciata est vomitibus & dejectionibus sanguinis atri & fætidissimi; dejectiones semper prænunciabantur majore debilitate, virium summa prostratione ab animi deliquio vix discrepante, febris semper abfuit, statim ac illa erupit, dejectiones suppressæ sunt.*

Idem D. MERLIN duas observationes D. BOUCHER refert; prior spectat agricolam quendam annos 60 natum, qui post vitam ærumnis, duris laboribus & parco victu miserrimam, in *morbum incidit, pri-  
mæ Obs. Dr. VARNIER prorsus similem, cui succubuit:* altera, spectat monialem virginem annos 60 natam, quæ postquam per plures dies dolores obtusos in regione epigastrica & adversa dorsi media parte experta est; *materies atras cum sanguine partim gru-  
moso, partim fluido evomuit; moxque materies ejus-  
dem indolis at nigriores & fætidissimas alvo depo-  
suit: quum acida nullo modo ferre posset, ope  
demulcentium, mannæ, vini, juscotorum sanata est.* Duobus annis elapsis, eodem morbo correpta, iisdem auxiliis liberata fuit.

*Observatio 18. D. CAMPARDON prima v).*

Virgo annos 24. nata, temperiei sanguineo-chole-ricæ & hæmorrhoidibus obnoxia, multas epistaxes pubertatis tempore passa erat; pubere facta, ipsi ca-

tamenia copiose per 6 aut 7 dies fluere solebant; & identidem bis singulis mensibus, copiosissime. Aliquando postquam menstruis incipientibus, diu & acerrime faltasset, nec bene concoxisset, menstrua derepente suppressa sunt; & eodem die circa 5 horam post meridiem & per sex dies, per utrumque guttur ejecit sanguinem atrum partim liquidum, partim in grumos coactum, cum materiebus nigris, mollibus & fætidissimis, quas comitabantur summi angores, animi deliquia mortem minitantia; pulsus debilis, vix sensibilis; os, manus & reliquum corpus sudore frigido & viscofo madebant. Datis licet variis remediis, illa per plures dies multam vim sanguinis grumosi, atri, fætidissimi utraque via rejiciebat: interdumque per os sanguinis grumos ovum gallinaceum æquantes. Tandem tribus elapsis hebdomadibus erupit FEBRIS, redeuntis sanitatis prænuncia; moxque pacatis omnibus symptomatis convalevit.

*Observatio 19. ejusdem secunda.*

Operarius quidam 50 annos natus, excelsa statura, temperie sicca & strigosus, post nixum fortiorum sentire cœpit in parte pectoris & ventriculi anteriore, in hypochondriis, in media parte regionis umbilicalis superioris, dolorem & molestiam perpetuam. Paulo post percipiebatur hac ultima in parte durities quæ modo singulari pulsabat. Hinc in mœstitudinem & melancholiæ incidit & duabus annis elapsis, ecce

*subito, nulla prævia cognita causa excitante, avv nra  
narrat materiem nigram fætidam & multo sanguini  
coacto permixtam ejecit: sub iis dejectionibus sum-  
ma debilitate & animi deliquiis afficiebatur. Septi-  
ma morbi die erupit FEBRIS quæ illum ad sanita-  
tem perduxit; quo tempore pulsus fiebat mollis,  
plenus, regularis; durities pulsans in regione um-  
bilicali eadem ratione decreccebant qua creccebant  
evacuationes. Non alienum est observare, in his  
quatuor casibus, FEBREM semper signum instantis  
prosperæ valetudinis fuisse.*

*Observatio 20. D. GLATIGNY prima w).*

Hic cel. Medicus afferit, se plusquam 20 exempla  
hujus morbi vidisse, & ea quæ retulit testantur eum  
morbum nostrum fat recte distinxisse.

*Virgo inopinato & absque ulla evidente causa ma-  
teries nigras viscosas, fætidas per superiora & infe-  
riora pluries rejicit. Ipsi faciei color pallidus, fuscus,  
luridus; pulsus acer & contractus; debilitas magna;  
molestia in hypochondriis; ventriculus dolens. Bre-  
vi in sanitatem restituta.*

*Observatio 21. ejusdem secunda.*

Vir quidam primum vomitu biliofo corripieba-  
tur, & licet vena secaretur, ei emollientia atque ec-  
coprotica adhiberentur, octo diebus post incœpit  
sanguinem nigrescentem evomere, moxque vim in-

*gentem materiei nigræ, grumosæ, alvo pluries deposit; ipsi oris color pallidus & luridus; pulsus tensus, contractus, parvus, venter mollis & leviter dolens. Brevi convaluit.*

*Observatio 22. ejusdem tertia.*

*Coriarius quidam, ex improviso & absque ulla apparente causa, materiem nigram, grumosam, sanguini coacto similem, & natu pluries rejecit cum multis superiorum symptomatibus. Intra octo dies convaluit.*

*Observatio 23. D. BRIEUDE x).*

*Sacerdos quidam pluries ante vera Melæna correspondus fuerat; cum in hunc morbum adhuc recidisset, & sub animi deliquio sanguinem putridum, atrum, fætidissimum alvo deposuisset; ope unius emetici restitutus fuit, quod ingentem vim sanguinis atri, coacti & materiei biliosæ foras expulit.*

*Observatio 24. D. LE CORDIER y).*

*Vir septuagenarius temperiei phlegmatico-melancholicæ morbo nigro bis vel ter per annum laborabat. Prænuncii morbi erant universalis laßitudo & anxietas, crurum pondus & molestia, nauææ, anorexia, languores, tandem animi deliquia, sub quibus materies atras fætidas, quas sequebantur iterum animi deliquia, alvo deponebat. Ope succorum ex vegetabilibus expressorum semper sanatus fuit.*

x) V. Jouru. de Méd. T. XIII. p. 485.

y) Ibid. p. 489.

Alteram observationem huic prorsus similem celeberrimus auctor loco citato refert.

*Observatio 25. D. RENARD z).*

*Agricola ætate proiectus, & qui iteratis venæ seclionibus effætus extreum spiritum trahere videbatur, subito materiem atram cum bile & sanguine mixtam valdeque fætidam sursum & deorsum rejicit. Evacuationes illæ, intra duos dies, cardiacis & acidis suppressæ, sed ægre admodum convaluit.*

*Observatio 26. D. DU SAULSAY a).*

*Virgo annos 30. nata, vitam umbratilem degens, aliquot mensibus, postquam catamenia amississet, languefcere cœpit, & dyspepsia pluribusque symptomatibus jam supra relatis laborare: mox sub crebris animi deliquiis & deorsum & sursum sanguinem in grumos coactum, fluido sanguini & materiei liquidæ fætidissimæ commixtum ejecit. Dejectiones vomitu copiosiores; ipsi pulsus valde debilis, tardus, parvus absque intermissione; oris pallor, oculorum imbecillitas; abdomen molle, doloris expers; dejectiones ultra sex dies perseverarunt; tandem sed ægre admodum ad sanitatem reducta.*

*Observatio 27. D. SPIELMANN b).*

*Curavit illustrissimus D. intra paucos dies virginem annos 32. natam, corporis laxi, plethorici, hy-*

*z) V. Journ. de Méd. T. XXII. p. 489.*

*a) Ibid. pag. 502.*

*b) V. Differt. inaug. D. ROEBER. Argent. 1787. p. 30.*

sterici, quæ post colicam flatulentam, & alvum per 4. dies constipatam, materies subnigras, fætidas & postea, paulum sanguinis deposuerat. Pulsus plenus & natura paulo durior. Intra 8 dies sanata.

*Observatio 28. D. BAUMES c).*

Vir ann. 50. natus, celsa statura, temperie sicca & habitu strigoso *inopinato*, cum iter faceret, animi deliquiis diuturnis mortemque minitantibus correptus fuit: quorum sub finem magnam vim sanguinis atri fætidissimi per utramque viam ejecit. Hæc symptoma simul cum dejectionibus per plures dies perseverarunt. Intra novem dies perfecte convaluit.

*Observatio 29.* His subjicere liceat, alterum memorabilem casum cuius ego adhuc testis oculatus fui, qui ad naturam & causas veræ & genuinæ Melœnæ haud parum luminis adfert.

Ineunte vere ann. 1785. magnam Britanniam petebam una cum familiarissimis meis DD. GOODWIN d) & WILSON, medicis ex Anglia celeberrimis. Forte contigit ut in eadem rheda simul iter faceret equitum centurio quidam, ætatis constantis vir, temperiei melancholicæ, qui *nuperrime uxorem duxerat*; & matronæ duæ (ita saltem nobis videbantur) una circiter 19 ann. nata, viridis & juventa florens, venustissima profecto & suavissima puella, oculis nigris,

c) V. Jonrn. de Méd. T. 57. p. 524.

d) Auctoris Différ. inaug. de morbo morteque submersorum. Edinb. 1786.

nigraque diffluente coma, absque ullo cultu exornata, & nativis, ut ita dicam, leporibus pudice ferrox. Altera paulo maturior sed quæ morsus annorum elegantia tegeret, quamque ad infidias natam factamque dixisses.

Primum nos jucundo varioque attamen liberali sermone, nec non obsequio, ut Apollinis filios decet, mulieres prosequeremur. At Mars noster artium fœminearum aliquanto minus imperitus, sensit mox puellam e grege Veneris; nec diutius illa dissimulare, se ex magno saltantium choro Parisinorum, a quodam militum duce accersitam, Insulas Flandiæ petere. Tunc noster, dare sese juveniliter. Omnis generis jocis & facetiis, ut mos est illorum, mulieres laceffere. Hæc oculis respondere, & venari: artes suas omnes explicare, hominemque urbanis illecebris, molibusque lenociniis scite admodum insecare. Quid multa? vincunt scilicet, tacite pactum est. Peronæ noctem egimus.

Postero die, cum tumulum divi FENELONIS Cameraci inviseremus, beatus noster in diverforio cum puellis remanet. At vix urbe egressus iste sese male habere cœpit; de summa imbecillitate conquestus, ecce subito pallescit, multaque animi deliquia passus est. Haud sine magna difficultate, nobiscum Duacum pervenit. Ibi rufus syncopen passus, ingentem vim sanguinis atri, grumosi, fætidissimi absque dolore alvo deposuit. Attamen ope jusculti cum cyatho

vini paululum refocillatus, ad Insulas vespere devenit, ita vero debilis, fractusque viribus, ut pro ejus vita valde timeremus. Tum imminente morte perterritus nobis confessus est, se puellam suam, Peronæ statim post cœnam & multam in noctem pro virili sua parte compressisse; nec ab ea, post jentaculum Cameraci abstinuisse. Nec melius Venus ista sese habebat. Ingentem enim menorrhagiam passa, auxilium nostrum supplex exoravit. Remediis adhibitis brevi convalescit. Iste vero pœnas intemperantiæ gravius luebat. Emulsiones, clysmata acidaque adhibuit, sed *per triduum quod Insulis agebamus vix cruentæ dejectiones imminutæ sunt*, et si tamen spes reddituræ valetudinis, adhuc e longinquo, ipsi affulgeret.

Hactenus Melænas idiopathicæ, tam ex causa non evidente quam ex causis fatis evidentibus, narravimus. Nunc de symptomaticis, quas scriptores immrito pro idiopathicis habuerunt, breviter dicemus. Et si enim saepè saepius sub iisdem signis procedant, magni refert, illas a primariis distinguere; ut quæ curandi methodum haud paulum diversam postulent.

Et primum FRID. HOFFMANN, *loco citato obs. 4.* narrat, fecessum nigrum & brevi lethalem in infante, ex metastasi tumoris brachii, qui multum sanguinis atri & putridi capiebat.

**Quarta. Species D. SAUVAGES, quam ille *hæmorrhæ-***

*gicam* vocat, evidenter symptomatica est. Tertia, quam idem *Melanam atrabilariam* nominat, de qua etiam GEOFFROY, BALLON'US & TH. BONNET locuti sunt, potius ad Choleram referenda est.

Exemplum quod idem SAUVAGES sub titulo secundæ speciei *scorbutica* dictæ, quodque ex D. BONTÉ mutuavit e) potius idiopathicā mihi videtur quam symptomatica; & scorbuticæ maculæ potius effectus quam causæ morbi. Enimvero maculæ & efflorescentiæ, quæ sub decurso morbi prodierunt, veram petechiarum indolem referebant, & e summa debilitate vasorum omnium, sanguinisque dissolutione naturaliter sequebantur. Etenim notatu dignum est, quod maculæ istæ, imminentibus dejectionibus & animi deliquiis, nigerrimæ evadebant.

Quidquid fit, non alienum mihi videtur illud exemplum in medium proferre: utpote quod progressus morbi, cum fatalis fit, luculentissime delineat.

*Observatio 29.* Horologiarius opifex, temperie sicca, melancholica, valde macilentus quotidie tabescet. Vertigo aderat, asthenia universalis, cum summa lassitudine tibiarum. *Pluribus* jam venæ sectionibus & catharticis extenuatus, tandem gingivis rubris, mollibus & ore fœtido affectus, petechiis multis distinctus, inscius & nullo prævio dolore magnam vim sanguinis atri & fætidissimi pluries dejicit. An-

*tis corbuticis minime levatus, acidis & optima vivendi ratione usus, tandem recrudefcente ab integro morbo occubuit. Quoties fluxus niger instabat, maculæ ex purpureis nigræ evadebant: febris nulla, pulsus intermittens, frequentia animi deliquia, palpitationes, pulsatio temporum, & paulo ante mortem, labia, palatum, lingua ex nigro vivescabant, harumque epidermis separabatur.*

*Observatio 30. Exemplum tanquam Melænæ idiospathicæ a D. VANDERMONDE f) allatum in puella sex annos nata, ad symptomaticas evidenter referendum puto. Naturalis enim sequela fuit venæ sectionis, in synocho putrida cum petechiis, temere institutæ. Quod ex historia, cum morbi tum curationis, luce clarius patet. Patiebatur, inquit egregius scriptor, febrem gravem, habebat pulsum parvum, acrem & contractum, oculos splendentes, oris colorem rubido purpureum, linguam aridam involucro bilioſo obductam; nauſea tentabatur, pectus nigerrimis petechiis & confertis distinctum erat, quarum plurimæ circa collum veras ecchymofes nigerrimas referebant. Notandum bene hanc puellam, per tres dies, antea multum sanguinis naribus jam emisisse. Nunc provoco ad experientissimum quemcumque medicum, interrogans illum; anne HIPPOCRATES ipſe aut SYDENHAM aut CULLEN, synochum putridam cum petechiis, pro-*

---

f) V. J. de Méd. T. VI. p. 336.

priis suis coloribus & characteribus aptius exprimere & luculentius depingere potuissent? Quantum igitur obstupui, cum sequentia legerem! „Dubitabam, „addit celeber. Doct. incertusque de diagnosi fluctuabam: *quid igitur?* haud mora, inquit, ex templo „venæ sectionem ad brachium institui". Proh Dii immortales! a quo pendet hominum vita & in quo versamur discrimine cum Doctores nostri semeiotici neglexerunt! Cum me ad studium artis medicæ contuli, & ex doctissimo medico anxie sciscitarer, quænam præcipua Medicinæ pars esset & aliis anteponenda? *Semiotice*, respondit ille. Et secunda, huic proxima? *Semiotice*. Et tertia? *Semiotice*, *Semiotice*, ajebat: & sapienter quidem, hæc enim totam artem complectitur. Nempe in libris fere omnes morbos sat bene descriptos invenimus, & auxiliorum penus & quasi armamentarium sat amplum & pene infinitum; at morbos ipsos in ægrotantibus investigare, recognoscere & recte judicare: hoc opus, hic labor est. In quo si te feliciter geris, maxima laus: si vero ignorantia peccas, hinc turpissimi errores non fatis lugendi, hinc fœdissimæ lites nobilissimam artem, virisque nobilissimis tantum excolendam, dehonestantes!

Sed quid sequebatur? Id quod necessario sequi debebat: incredibilis debilitas, venæ sectione inducta & symptomatica Melæna, nempe hæmorrhæ-

gia passiva ex resolutione vasorum intestinalium; quæ puellam cito occidisset, ni Doctor noster, aliunde artis suæ experientissimus, præsentissimis auxiliis, ut acidis, cortice peruviano & adjuvante alma natura, infantibus tam amica, damnum venæ sectionis quam citissime resarcisset.

Nec magis cunctor inter Melænas symptomaticas eum casum numerare quem D. AUBRELIQUE *in vol. XIII. ejusdem Journ. de Medecine p. 486.* retulit. Hanc Melænam pro symptomate scirrhi pylori, & intestini cœci morbi post mortem detecti, habere videtur. Haud immerito quidem. Enim vero vomitus matriciei nunc fuscæ nunc atro rubræ, scirrhum pylori sat bene declarabat.

Melæna a D. FLEUR descripta *g)* mihi evidenter symptomatica videtur & talis cadaveris sectione patuit. Nec miror tamen, celeberr. Medicum, illam pro vera & idiopathicæ habuisse; signa enim, paucis exceptis, idiopathicæ tam proxime accedebant, ut non facile esset, scirrum pylori, pancreatis & splenis, veras vomitus caufas, subodorari.

Historia Melænæ a D. RENARD prolata *h)* ita brevis & manca ac mutilata est, ut non adeo facile sit discernere, utrum revera ad idiopathicas pertineat; aut nonne potius naturalis sequela febris continuæ,

*g) V. Journ. de Méd. T. XIII. p. 492.*

*h) V. Journ. de Méd. T. XXII. p. 453.*

qua laborabat æger, & quæ male judicata & tractata fuit.

FORESTUS lib. 8. refert speciem Melænæ e vermis ortæ, in puella 22 ann. nata, quæ decocto absinthii, centaurei minoris, rhabarbari curata fuit. Idem sentiendum de morbo, quem narrat FRID. HOFFMANN. *Dissert. jam citata N°. XXI.* hic prorsus similis fuit duabus a CHOMEL relatis, ex ruptura vasorum quorundam intestinorum oriundus & plane, ut hi, symptomaticus. Vide etiam exempla a PLATNERO relata in *praxi sua* p. 726.

### C O N S E C T A R I A.

Nunc liceat, ex omnibus hucusque prolatis, observationes quasdam colligere & in unum coactas oculis subjicere.

1) Ex 52 circiter Melæna laborantibus, quorum historiam aut ipse vidi aut retuli aut annotavi, fuerunt *mulieres circiter 11.*

*viri - - - - 41.*

2) Horum ægrotantium *circiter 30* ultra ætatem constantem progressi, cæterique ultra 50 aut 60 annos, plures adhuc ætate provectiores. Omnes igitur, aut fere omnes, plethora venosa jam laborabant. Præterea omnes etiam fere temperiei melancholicæ erant, cuius præcipua pars & solita conditio est, sanguine venoso & spisso nimium abundare: quæ corporis conditio viam sternit ad hæmorrhoides & Melænam.

3) Horum morborum causa remota prædisponens frequentissima evidenter fuit mæstitia, depri-  
mentia animi pathemata, cum vita sedentaria.

4) Horum tantum 17 *Lethales* fuerunt; inter  
quos plures symptomatici; *feliciter vero sanati*  
*circiter 32.*

5) In omnibus, sive idiopathicis sive symptomaticis, signa constantia & cum morbo semper præsen-  
tia fuerunt; *dejectiones sanguinis atri, grumosi,*  
*odoris cadaverosi, fætidissimi, cum animi deliquiis:*  
& in omnibus idiopathicis, præter illa communia  
signa, semper adfuerunt *universa virium prostra-  
tio, constans & summa debilitas, sèpe sine ulla evi-  
dente causa; pulsus parvus & debilis, modo con-  
tractus, modo intermittens, absque febre; denique*  
*dejectiones sine terminibus, ullove dolore.* Et cum  
pulsus validior, crebrior & febricitanse fieret, tum  
finem dejectionum instantemque sanitatem prænun-  
tiabat. *Ergo improbatum est, Melænam hæmorrh-  
giam aëtivam esse.*

6) Nullus adhuc Melæna morbus, nisi sporadicus,  
visus est, ergo non contagiosus.

Jam vero, qualis erit genuina hujus morbi defi-  
nitio?

SAGAR illum collocavit in ordinem secundum  
5. classis, *fluxuum*; ubi sic se habet definitio:

MELÆNA. *Fluxus materiei nigricantis atro rubræ  
uræ vel nalgæ frequens.*

Cel. SAUVAGES sic genus definivit :

MELÆNA. *Alvi fluxus, materiei nigricantis atro rubræ, dejectione aut vomitione frequente notatus.*

Quomodo igitur illum a quibusdam cholerae species, a dysenteria, a vomitibus symptomaticis ex laesione & scirrho viscerum distinguit? Nescio.

Evidenter patet, utrumque celeberr. Nosologum plura symptomata pathognomonica praetermissee, qualia sunt, *prostratio virium absque ulla evidente causa; animi deliquia cum dejectionibus proxime juncta; pulsus parvus, debilis, contractus, absque febre.*

Præterea, et si vomitus saepe dejectiones comitantur; attamen non est signum pathognomonicum, nec unquam solus & per se, morbum illum designare potest. Quin imo constantius Melænas symptomaticas & saepius quam idiopathicas comitari mihi vindetur. Igitur dum auctores illi intempestive breves esse laborant, obscuri fiunt. Enimvero, non sufficit, ut definitio brevis sit, sed potius ut clara & distincta eluceat. Porro, si quodcumque ab aliis fibi affinibus distinguere volumus; necessario requiritur, si de universal loquimur, ut definitio saltem genus definiti supremum & proximum complectatur: si vero de specie genus & differentiam specificam.

“ Tertia regula, ait CULLEN i) in constituendis morborum characteribus est, quod, cum quisque mor-

i) V. *Nosol. pref.* pag. 34.

„bus ex plurium symptomatum concursu solum  
„dignoscatur ; ex iis pro notis characteristicis , tot  
„quot sufficient , adhibenda fint .”

Porro signa , sive generic a sive specific a , semper  
esse debent : 1º sensibus Medici admodum obvia.  
2º Cum morbo constanter praesentia . 3º Character  
generis ex signis causae proximae cuicunque speciei  
communibus petendus mihi videtur . 4º Characteres  
vero specierum , ex causis remotis , sive prædisponen-  
tibus sive excitantibus , ex ultimis adhuc melius ,  
utpote magis evidentibus , deducuntur k). 5º. Deni-  
que varietates saepe locis aut gradibus tantum a se  
invicem separantur.

## DEFINITIO GENERIS ET ALIQUOT SPECIERUM.

Equidem vix audeo , post tantos viros , meam  
proferre sententiam . Vellem genus Melænæ in classe 9.  
(*fluxus*) ordine 2. (*alvi fluxus sanguinolenti*) &  
quidem post 8. genus SAUVAGESII relinquere ; sed  
juvat sequentibus characteribus illud insignire.

*G. Melæna. Morbus non contagiosus : sub summa  
virium prostratione , pulsu parvo , contracto , de-  
bili , febris experte , secessus (nonnunquam cum vo-  
mitu) sanguinis atri , grumosi , saepe saepius odoris  
cadaverosi , (plus minusve fætidi) cum syncope vel*

---

k) V. CULLEN , *Nosol.* Claff. 1. G. 37. Claff. 2. G. 42. &c.

*præcedente, saltem imminente, vel comite aut proxime sequente & absque ullo dolore.*

Hoc genus vellem in species tum symptomatiscas tum idiopathicas distribuere. Inter idiopathicas jam sequentes haberi posse mihi videntur, ni aliter putent doctissimi viri, quas sic propriis nominibus & notis insignire juvaret.

*Sp. 1. MEL. (spontanea) fine causa manifesta aut ullo morbo comitante.*

Pro exemplis vide spleneticam D. SAUVAGES.

*Obs. 2. 3. 4. D. BONTÈ p. 18 & 19.*

— 3. *Frid. HOFFM. p. 15.*

— quatuor *D. HOME p. 14.*

— quatuor *D. VARNIER p. 16, 17. &c.*

*MEL. D. MERLIN . . . p. 19.*

— *D. GATIGNY . . . p. 22.*

*Obs. 2. D. CAMPARDON p. 21.*

*MEL. D. LE CORDIER, RENARD, DE LA SAUSSAYE, BAUMES p. 23, 24 &c..*

2. *MEL. (Pathetica) ex aliqua magna animi perturbatione, ut *ira* v. 2. *Obs. HOFFM. p. 15.**

3. *MEL. (Crapulosa) ex crapula vinosa, aut indirecta quacumque debilitate v. 7. *HOFFM. p. 16.**

4. *MEL. (Libidinosa) ex Veneris abusu aut debilitate directa indirectæ superaddita, v. *Hist. Centurionis. p. 25.**

5. *MEL.* (*Plethora*) ex subita & recenti suppref-  
fione evacuationis sanguinis solitæ.

*Varietates* 1. *ex menstruis suppressis.*

2. *ex haemorrhoidibus suppressis.*

v. *WELSCHIUS Dec. 4. Curat. 5.*

*Frid. HOFFM. Dissert. citata.*

1. D. CAMPARDON p. 20.

6. *MEL.* (*Gravissima*) post gravem morbum aut  
sub illius finem, ut in febre typhode, variolis  
confluentibus, scorbuto v. 2. D. BONTÉ p. 18.

7. *MEL.* (*Periodica*) ex obstructionibus, scirrhis,  
ulceribus aut aliis viscerum læsionibus.

v. *Obf. D. BRIEUDÉ p. 23.*

Hæc vero species pro symptomatica haberè debet.

In universum, omnes illas Melænas ad symptomati-  
cas referendas arbitror, quæ a nulla generali totius  
corporis & systematis affectione pendent, sed a mor-  
bo locali alicujus visceris; quales sunt, *carcinoma-*  
*ta, ulcera, scirrhi intestinorum, lienis, jecoris, pan-*  
*creatis, &c.* aut a ruptura magnorum vasorum inte-  
stinorum, ex vehementi nisu, percussione aut acri-  
bus & venenis ingestis, denique a læsione quacum-  
que locali. Poterunt semper a veris idiopathicis di-  
stingui, 1°. *doloribus fixis & localibus*, 2°. *quod*  
*longæ & saepe saepius periodicæ sunt*, 3°. *absque*  
*constanti debilitate*, 4°. *quod pulsus non tam debi-*  
*lis, parvus, contractus*, 5°. *quod semper non nihil*  
*febris adest.*

Has igitur a me nunc conditas species Nosologis fore acceptas sperare licet. Etsi enim maxima pars curationis eadem esse deberet, quia scilicet duæ aut tres indicationes, quæ ex causa proxima fluunt, omnibus his speciebus communè sunt; nihilominus tamen certum est, in multis rebus non parvi momenti variandam esse curationem, pro varia nempe causarum remotarum indole & natura. Quod ad symptomaticas spectat, liquet, illas præter communem curandi methodum, aliam adhuc sibi propriam, morboque locali adaptatam, postulare. At vero ita sum temporis angustiis & natura disputationis definitus & circumscriptus, ut ne nimium dilatè argumentum, de solis idiopathicis Melænis dicturus sim; de longis vero & symptomaticis non-nisi data occasione & obiter.

## S E C T I O II.

### *Historia generalis, & diagnosīs.*

MELÆNA, morbus acutus non contagiosus, homines præsertim adoritur temperiei melancholicæ, hæmorrhoidibus obnoxios & prædispositos; viros potius, quam fœminas; vix non semper post ætatem constantem, cum plethora arteriosa, quæ simul cum vita incipit venofæ cessit. Remotæ causæ sunt omnia quæ debilitant, sive directe sive indirecte.

Accidit saepius hyeme aut exeunte aestate quam verno tempore.

ÆGROTANS, post abusum stimulantium sive morarium sive physicorum, aut aliam similem causam, at saepius nulla prævia apparente & cognita <sup>l</sup>causa excitante, inopinato vires suas decrescere sentit; paulo post in summam universamque imbecillitatem incidit, multaque animi deliquia, plus minusve diurna, patitur. Mox, pluries de die, absque dolore, per inferiora & saepe etiam superiora, ejicit materies fuscas, cum magna vi sanguinis atri, putridi, odoris plus minusve cadaverosi, & nunc coacti in grumos magnitudine varios, nunc liquidioris, nunc utrumque. Pulsus, qui semper est parvus, debilis, contractus, febris expers, fit intermittens instantibus dejectionibus, quas animi deliquia vel summae debilitatis signa, antecedunt, comitantur aut sequuntur. Vultus collapsi & luridi, calor naturalis.

MORBUS intra paucos dies, absolvitur, sive per dejectionum cessationem, viriumque redditum; sive ipsa morte. In hoc posteriore casu, cito recrudescunt omnia symptomata & exacerbantur. Evanescit omnis cibi appetitus; pulsus, in dies & in horas fit imbecillior, crebrior, intermittens, semper absente febre; mox relaxatis vasis & solidis, sponte sanguis effunditur, prodeunt petechiae, ecchymoses, animi deliquia frequentia, palpitationes, temporum pulsa-

tiones: tandem æger undique resolutus placide animam efflat.

Qui solent longas apud Medicos scriptores Morborum Historias legere, dicent forsitan; nos brevem nimis & mancam Melænæ historiam tradidisse. Mirabuntur scilicet, me nihil de atræ bilis secessu & vomitu; nihil de pulfibus duris, validis, plenis, irregularibus; nihil de multiformi febre; nihil de doloribus hypochondriorum, abdominis colicis, calore, sexcentisque aliis signis dixisse. Quo falso crimine ut me purgem, fatebor, medicum scriptorem nunquam posse nimis accurate, nimis fuse dicere, cum de individuis loquitur; præfertim ubi subjungit curandi methodum. Evidem id feci in prima mea observatione, quæ stat in vestibulo hujus disputationis. Sunt tamen certi fines. Prætereunda enim omnia adventitia & fugacia signa, quæ, nedum varietatem unam constituant, a cordato in praxi merito negliguntur. Atque omnino deridendi sunt illi graves symptomatum sectatores, qui dum muscas venantur, malum altius ferre non vident. Sed longe aliter sese res habet, cum generis historia delineatur. Hæc enim nulla alia signa complecti debet, quam quæ omnibus speciebus communia, constantia & a morbo inseparabilia sunt, sub quacumque forma ipse prodeat. Neglectæ huic regulæ tribuenda sunt tam multa ambigua & sibi repugnantia, quibus cum veterum tum recen-

tiorum historiæ vulgo obscurantur *l*). Solent enim in generis historia omnes omnium individuorum historias simul coacervare *m*); & non solum omnia signa constantia, unicuique propria, sed & levissimos flatus, ineptissimasque nugas, quæ, decursu morbi, sese invicem exceperunt. Quod si quis excellentium descriptionum exempla videre velit; legat aut Medicinæ TACITUM alterum SYDENHAM, aut dilectissimos præceptores meos CULLENIUM & BRUNONEM; quorum priore nihil clarus & sine prolixitate sagacius; alter vero brevitate elegantior adhuc & nervosior *n*).

Igitur haud sine jure & consulto prætermisi 1º. dejectiones & vomitus meræ bilis; tanquam signa cholerae propria, & quæ non nisi raro & fortuito casu in Melæna deprehenduntur. 2. dolores colicos, ut fortuita, inconstantia & potius symptomaticis convenientia. 3º. & dejectiones parum fœtidas; fœtor enim gradu variat pro diversis circumstantiis. 4º. & pulsus duros, validos, cum febre; sunt enim symptomaticis quasi propria, & cum in veris & idiopathicis accidunt, tantum abest, ut morbum significant, ut contra sint quasi signa redeuntis valetudinis! Nempe

*l*) V. CULLEN *Nosol. præf.* p. 6.

*m*) V. 1. *Dissert. jam cit. J. BBRILLON* p. 2. Art. 2. & 2. TISSOT & BURSERII *Opera &c.*

*n*) V. *ELEM. MED. BRUNONIS*; Vol. 2. *Hist. Scarlatinæ, Vario-*  
*larum, Rubeolæ* p. 44. 45. 47. *Insomnii* p. 51. *Scorbuti*  
p. 135. *Hysteriæ gravis* p. 158. *Podagræ* p. 146.

jam observavi, ob oriente febre illico supprimi dejectiones; faustique ominis esse pulsus debilis invalidum plenumque conversionem. *V. supra Obs. p. 12.* Dux etiam contra fere omnes, morbum esse acutum & intra paucos dies absolvi, quod revera sic se res habet. Cum enim longus fit morbus, aut periodicus, certo concludendum, non idiopathicam adesse Melænam, sed symptomaticam, internamque visceris alicujus læsionem sublatere.

## DIAGNOSIS.

Morbi, quibuscum facilius Melæna confundi potest, & revera quotidie confunditur: sunt *hepatirhæa*, seu *fluxus hepaticus dictus*; *hæmorrhois*; *dysenteria*; *diarrhæa*; *hæmatemesis*; *cholera* &c.

Hinc sic vellem ab omnibus Melænam distinguere.

1º. Ab HEPATIRHOEA: quod in ea dejectiones sint loturæ carnium similes. Absunt autem cum fœtiditas, tum *maxima debilitas*, *animi deliquia* &c.

2º. Ab HÆMORRHOIDE: quod hic sanguis est fluidus, floridus, e tuberculis duris & dolentibus. Absunt etiam fœtor, *virium prostratio*, *animi deliquia* &c.

3º. A DYSENTERIA: quod in ea dejectiones sunt mucofæ, cruentæ; adsunt *tenesmus*, *tormina intestinalium*, *febris* & *morbus contagiosus*.

4º. A DIARRHOEA: quod in ea dejectiones sunt

liquidæ, non cruentæ; *adest Colica*; absunt *summa debilitas, animique deliquia*.

5°. Ab HÆMATEMESI: quod hic evomitur cum conatu & saepe ventriculi dolore; sanguis rejectus ruber, aut si fuscus, inodorus est. Absunt *Melæna affidui comites, virium prostratio, deficiens animus, pulsus parvus, debilis &c.*

6°. A CHOLERA quod in ea rejections mere biliostae sunt; *adest tenesmus, dolor abdominis; absunt fætor & animi deliquia.*

Præterea maximi momenti esse mihi videtur, criterium habere, quo Melænae idiopathicæ & primariæ a symptomaticis secernantur. Porro symptomaticæ a primariis distinguuntur: 1°. Causis remotis, cum prædisponentibus tum excitantibus. 2°. *Doloribus vel obtusis vel acerrimis* in quodam abdominis viscere aut hypochondriis, eidem loco in hærentibus & perpetuis. 3°. *Quod longi sunt morbi & saepe periodici.* 4°. *Quod in symptomaticis pulsus non assidue debilis, sed aliquando durus & febricitans; oris color parum mutatus; animi deliquia non frequentia, & abest affidua virium prostratio.* 5°. Materies non tam cruentæ nec odoris tam male olentis. 6°. Una præcipue symptomatica inter alias notanda, quam omnes vel ingeniosissimi Medici, modo cum Cholera, modo cum vera Melæna confundere solent o). Eam intelligo, quæ a scirrho aut

---

*o) v. D. AUBRELIQUE & FLEUR J. de Méd. T. XIII. p. 486.*

simili morbo sive pylori sive tunicæ internæ ventriculi, aut ipsius intestini *duodeni*, originem dicit. Sed eo mihi bene distingui posse videtur, quod materies crebro vomitu rejectæ, modo fuscæ, modo atro rubræ & etiam aliquoties subnigræ & semper plus minusve viscosæ. Hoc primum olim observavi cum peritissimo & diu desiderando D. DUBOIS in nosocomio a Charitate dicto; postea in tribus aliis ægrotantibus, quorum unum, cum celeb. SPIELMANN invisebam.

Illust. BOSQUILLON hanc observationem confirmat in suis annotationibus ad CULLENII praxin N°. 1029. Et in *Obs.* D. AUBREIQUE & FLEUR, *loco citato* probatur phænomenis, quæ sectis cadaveribus prodierunt, succum gastricum in scirrhis duodenii & pylori sensim adulterari, intimamque & ultimam (nervosam) ventriculi membranam tandem corrumpi; unde fucus vomitu rejectorum color & subniger.

Idem ulterius evincitur sectionibus cadaverum e Sepulchreto TH. BONNETI p. 196-799. *Obs. XVIII.*; idem etiam a FRID. HOFFMANN. (*Dissert. citata*) multis factis allatis illustratur.

Nunc in mentem ultro occurruunt sequentes quæstiones.

*Unde tanta affiduaque virium prostratio? Unde animi deliquia tam repetita?* Quæ tamen, in san-

guineis profluviis longe majoribus non accidunt.  
Unde tam subita mors in fatalibus?

Ad quæ omnia non responderi potest, nisi causis  
Melænæ curatius investigatis; idque sum facturus a  
proxima causa incipiendo.

### S E C T I O III.

*CAUSARUM cum proximæ tum remotarum  
investigationem; earum ad signa sua ra-  
tiones, denique prognosin complectitur.*

#### C A U S A P R O X I M A.

Omnia opinionum commenta a variis medicis  
**excogitata**, quorum plurima mera sunt jejuni ce-  
rebri & factorum vacui somnia, commemorare lon-  
gum nimis effet, & molestiam mihi & lectoribus  
(si forte fortuna mihi habere contingat) **creaturum**.  
Pauca jam significavi, alia in decursu disputationis  
obiter narrabo. Hic vero sat fit paucis ostendere  
quantum plerique circa cum rem hallucinati sint.

Scriptores Diarii Med. in universum putant, *Melænam* hæmorrhagiam activam esse, sanguinemque  
ex venis mesaraicis in cavum intestinorum erumpere. Plerique antiquiores causas symptomaticæ  
potius quam idiopathicæ Melænæ investigasse vi-  
dentur. FRID. HOFFMANN obstructionem alicujus  
magni visceris, v. g. Jecoris, Lienis, Pancreatis

aut venæ portarum in causa Melænæ habuit (v. *Dissert. cit.*) COLOMBIER p) originem morbi nigri obstrunctioni ramorum venæ portarum tribuit & causam proximam secessus & vomitus effusionei humoris nigri, qui ex venis mefaraicis in cavum intestinale descendens illum & ventriculum pariter male afficit: duasque species proposuit: *fluxum nigrum sanguineum*, & *fluxum nigrum melancholicum*. GESNER (v. *loco cit.*) afferit, causam Melænæ nihil aliud esse, quam humorem melancholicum, bilem atram, sanguinem stagnatione corruptum, billem inspissatam acrem & nigram &c. Cur non etiam, cum quibusdam veteribus, addidit qualitates occultas cujuslibet coloris, sanguinisque fuligines? &c.

Doct. BAUMES (v. *loco jam cit.*) contendit: 1º. Nigrum morbum nil esse præter fluxum atræ bilis, quem vocat hæmorrhagiam critico-periodicam hypochondriacis propriam; 2º. sanguinem, in hoc morbo, ex venis mefaraicis ruptis, in cavum intestinale erumpere; 3º. totumque morbum, indole & natura, ab hæmorrhoidibus & menstruis non differre; mox suam hæmorrhagiam critico-periodicam fieri dicit, non solum per rupturam, sed simul etiam per metastasis, per transudationem venarum & denique quamdam colaturam per telam cellulofam &c. At liceat autorem ipsum eloquentem

introducere . . , à la suite des efforts d'une nature jus-  
 , , ques la victorieuse , au milieu des évanouissemens &  
 , , des lipothymies , suites constantes de la diminu-  
 , , tion des humeurs septiques. J'ai dit , d'une nature  
 , , jusques là victorieuse , parce que s'il se faisoit une  
 , , expulsion totale des humeurs , que la veine porte  
 , , rejette a mesure qu'elles arrivent dans le tube  
 , , intestinal , comme dans le flux mesenterique hé-  
 , , morrhoidal ; on ne devroit plus s'attendre , que  
 , , le sang veineux , qui par la stagnation dans ses  
 , , vaisseaux , a reçu l'empreinte d'une dégénération  
 , , putride , marchât rapidement au comble de la dé-  
 , , pravation ; lorsqu'il séjourne dans les intestins ,  
 , , mêlé avec les levains acrimonieux , reste de la  
 , , coction excrémenteuse q). Risum teneatis amici ! . .

Nunc ad rem. Igitur causa proxima non est ex-  
 cogitanda , sed sedulo & caste , ex experimentis de-  
 ducta ratione , investiganda. Porro inter experi-  
 menta primas tenet sectio cadaverum : cum enim  
 causa proxima intus latet , nunquam ante , ex signis ,  
 recte conjiciemus , quam quum constantem phæno-  
 menorum sectione repertorum , cum signis præteriti  
 morbi rationem bene cognitam perspectamque ha-  
 bebimus. Videamus igitur quid doceant in hoc mor-  
 bo cadaverum sectiones.

## SECTIONES CADAVERUM.

*Th. BONNET* sequentes observationes in sepulchreto suo retulit r).

*Obs. 1. in viro 49 ann. nato, temperie melancholice hypochondria vexato, & qui de dolore hypochondrii sinistri valde conquestus erat, defuncto reperta sunt: Lien magnus, lividus, flaccidus; mesaraicæ tum venæ cum arteriæ, vasa gastro-epiploica, pulmones, dexter cordis ventriculus & confinia venæ portarum, atro sanguine turgescens.*

*Obs. 2. (ibid. p. 823.) in viro, qui a frequente sanguinis vomitu, asciticus factus erat, defuncto; Lien sanguini concreto similis, mollis & in partes facile solubilis.*

*Obs. 3. (eiusdem) in quodam nobili senatore, qui rejectione sanguinis per superiora & inferiora interiit; repertum est vas breve, minimi digitii magnitudine latum & in ventriculum apertum.*

*Obs. 4. (FRID. HOFFMANN. Med. rat. syst. loco cit.) In cadavere juvenis observationis secundæ omnia fœtidissima erant; in ventriculo, vasa brevia nigro colore conspicua & disrupta; & tam in ejus cavo, quam etiam ileo intestino, liquor niger fœtidus, vasis etiam hujus nigricantibus; hepar natura durius;*

rius; lien durus, fere cartilagineus, atro sanguine plenus.

*Obs. 5.* (ex eod. ibid.) In cadavere fœminæ sexag. observ. 3. reperta sunt, vasa ventriculi brevia tumida, & atro sanguine infarcta; intestinum ileum eodem cruce plenum; hepar magnum valde durum; lien non durus sed bis natura major, mollis, atroque sanguine & fœtido plenus.

*Obs. 6.* A. PARÆUS, ubi crux sincerus præter alios humores descendit, firmis etiam militibus certam denuntiare mortem solitus; *eorumque corporibus incisis laxata oscula vasorum*, quæ in intestina hiant, ut si racemi essent, tumere, & digito preffa, sanguinem emittere conspexit.

*Obs. 7.* D. AUBRELIQUE s) historiam refert ægrotantis, qui duabus simul Melænæ speciebus laborabat. Scilicet, symptomatica quæ periodica fuit, & vera, cui succubuit. Sectio cadaveris causas utriusque morbi patefecit. Pylorus scirrhosus erat & fere impervius; intestina jejunum & ileum valde inflammati, illorum vasa sanguine turgentia. Cæcum vero, quod ita ampliatum erat ut alter quidam ventriculus videretur, sanguine putrido & fœtidissimo replebatur; colon erat etiam multum dilatatum, & multæ canalis intestini partes maculis gangrenosis distinguebantur.

*Observatio 8.* D. FLEUR t) historiam Melænæ

s) V. *Journ. de Méd.* T. III. p. 446.

t) V. *Journ. de Méd.* T. XIII. p. 492.

in vidua quadam pauperrima ann. 50. nata, dedit; quæ mihi symptomatica esse videtur. Etsi enim morbus versus finem, vultum melænæ idiopathicæ induebat; ab initio & per plures menses propriis symptomaticæ signis prodiit: *aderant dolores affidui in regione epigastrica, vomitus periodici, multæque dejectiones materiei fuscæ nigrescentis &c.* Seçto cadavere, reperta sunt: Lien scirrhosus; Pancreas totum induratum; Pylorus fere totus imperius & scirrhosus; ventriculus circiter libram unam liquoris serosi & fisci capiebat, hujus membrana villosa seu intima, multo humore nigro viscofo, sanguinem coactum referente, imbuta, concreta & crassissima videbatur.

Ex his paucissimis observationibus quid colligimus? Nihil adhuc; nisi Melænæ causam proximam verisimiliter canalis intestinalis hæmorrhagiam esse. Porro, quænam hæmorrhagiarum species? Experientia enim constat, ut inflammationis, ita hæmorrhagiæ, duas esse species inter se valde dissimiles. Una quæ *aëlica*, altera, quæ *passiva* a quibusdam merito vocatur.

*In priore*; aucta vasorum sanguineorum actione, & prædisposita parte morbosa, huc cito fertur impetu sanguis & erupit. *In altera* vero, prædisposta peculiari modo parte morbosa, minuitur actionis tonusque vasorum sanguineorum, ex quorum orificiis patefactis & laxatis sanguis sensim defluit.

Nec etiam cunctatur D. CULLEN priorem hæmorrhagiam ab hac separare u), & illam inter pyrexias referre, cuius quartum ordinem constituit. Alteram vero inter locales, cuius classis ordinem quartum etiam constituit & sapientissime.

Igitur, fateor me non intelligere celeb. BOSQUILLON sententiam; cum in suis (*loco citato*) adnotationibus dicit, hæmorrhagias activas & passivas non aliter inter se discepare, nisi quod, priores ab aliqua causa interna pendent, posteriores vero a causa externa.

Porro, non solum natura, & causa proxima & excitante, inter se differunt illæ duæ classes hæmorrhagiarum, sed & prædisponente & phænomenis sensibus obviis.

Hæmorrhagiæ activæ homines præsertim adoruntur plethoricæ temperiei, & sanguineæ apoplexiæ, fabrica peculiari, quasi destinatos. Longe frequentius in verna tempestate quam alia, & febrem synocham comitem habent. Insigne hujus rei exemplum, his diebus, cum D. SPIELMANN vidi, in homine cel. nobisque amicitia conjuncto, temperiei plethoricæ, parapapoplexia, duobus annis ante tentato; ab hoc tempore, in debilitatem summam incidit, quæ hydrothoracem gravem cum pedum œdemate induxit: illum saepè vidi, per hyemem proxime

u) V. *First lines of Physic* n. 736 — 1021. & *Nosol.* T. 2.  
p. 153 — 341.

elapsam, frequenter pulsum ejus exploravi, qui semper parvus, debilis, tardus ut in hydropicis mihi videbatur; ab initio hujus mensis pulsus crevit, validior & crebrior factus; intercus aqua per urethram sponte ita copiose fluxit, ut natura conatum ad sanitatem exerere nobis videretur; cum subito vehementi epistaxi correptus fuerit, quæ validioribus adstringentibus tandem repressa est. Dum sanguis fluebat, pulsus erat validus, durus, creber & acer, calor maximus, ita ut quadam synochæ specie laborare videret; hodie adhuc, quamvis de summa laßitudine & debilitate conqueratur, pulsus durus & acer remanet, hæmorrhagiam aëtivam semper minitans.

Hæmorrhagiæ passivæ contra, homines temperiei melancholicæ præ aliis adoriuntur, & qui plethoræ venosæ obnoxii sunt & in ea ætate, qua hæc plethora præsertim viget, hyeme aut exeunte æstate potius quam alia tempestate & vix unquam ullam febrem comitem habent, synocham vero numquam.

Vero igitur simillimum est, causam proximam Melænæ nihil aliud esse, quam *hæmorrhagiam passivam, quæ præsertim ex atonia & relaxatione vasorum oritur.*

Nunc restat investigare; an hæc venosa sit an vero arteriosa. Quod ut omnino, aut faltem maxima cum probabilitate assequar, perpendendæ sunt scripторum opiniones. Jam in eo consentiunt omnes, Melænæ causam proximam esse hæmorrhagiam quorum-

dam vasorum abdominis. In hac autem explicanda multum dissentunt v). Sequentes quæstiones omnes opiniones complectuntur.

*Qu.* Unde oritur sanguis intra cavum intestinorum effusus?

An ex jecore?

An ex inferioribus venæ portarum extremitatibus?

Aut ex arteriis intestinorum exhalantibus?

Et justis causis positis: fluitne ruptura vasorum, aut anastomosi, aut erosione, aut denique transfusatione?

*Resp.* 1º. Non ex jecore w); nam sanguis qui in Melæna effunditur, copiosus est, & saepè sine ulla bilis admistione. Præterea, in gravissimis hæpati-rhœis, quales sunt illæ, quæ in Hepatidibus Indiarum, sub finem morbi, eveniunt, nullus ex jecore sanguis effluit, ut mihi testatus est amicissimus GIRDSTONES, Anglus Medicus, qui multos in hac regione hepatitides vidit & curavit. Sanguis qui tunc secessu deponitur, loturas carnium referens, totus ex extremitatibus vasculorum, in tunica intima intestinorum repentium venit, quæ bilis in poris bi-

v) V. D. BONTÉ *Journ. de Méd.* T. VIII. p. 222. D. VARNIER T. XIII. p. 497. D. HOME *Opera cit.* CULLEN *First lines* N. 736 — 1029. N. 1489.

w) In hunc errorem inciderunt plurimi & nescio quomodo ingeniosissimi, inter quos sagacissimus LAMBSMA, qui ipse quasi inscius morbum nigrum optime describit. v. *Opusc. ventris fluxus multiplex* p. 110.

liofis diu retenta & aeris facta, transeundo nimis stimulat & corrodit.

2º. Non inficiar, sanguinem ex vena portarum defluere posse, cum simul concurrunt & plethora hujus venæ & peculiaris ipsius ad hunc morbum prædispositio. Idem fentit celeb. CULLEN, qui quidem arbitratur, fluxum hæmorrhoidalem, a quādam universa totius corporis conditione pendere; quæ conditio, pro natura causæ excitantis, & diversis aliis circumstantiis, alterutrum vel hæmorrhoidalem fluxum, vel Melænam producere potest. Quin imo controversiam dirimere non dubitavit N°. 1029. ubi ait: „Morbus niger, consisting in an evacuation, „either by vomiting or by stool, and sometimes in „both ways, of a black and grumous blood, can „hardly be other-wise occasioned, than BY A VE- „NOUS HEMORRHAGY from some part of the inter- „nal surface of the alimentary canal”.

3º. At, cur non etiam arteriosa effet hæc hæmorrhagia? Dicet fortasse celeb. Autor cum pluribus Medicis; sanguinem, in hoc casu, floridum exiturum esse? Minime. Fatetur enim ipse, sanguinem qualcumque, vel floridissimum, dummodo paululum commoratus sit, brevi & indolem & colorem & odorem sanguinis in Melæna exeuntis inducere. „And „by dissections in modern times (ait *loco citato*) „it appears clearly, that the MORBUS NIGER, præ- „fenting such an appearance of blood, always de-

„pends UPON THE EFFUSION AND STAGNATION I  
 „have mentioned.” Eidem causæ tribuit nigrum  
 colorcm sanguinis qui vomitu rejicitur: „It will ap-  
 „pear that vomitings of blood, may arrive in con-  
 „sequence of blood being poured out, in the man-  
 „ner i have mentioned, either in the stomach it-  
 „self or in the superior portions of the intestines.”  
 Idem egregius scriptor, solita sua sagacitate x) often-  
 dit, quomodo fieri possit, ut sanguis in hæmatemefi  
 aut Melæna effusus ex arteriis ipsis proveniat, (quod  
 nos infra evincemus). „The cases (ait) of hæmate-  
 „mefi already mentionned, may be properly sup-  
 „posed to be hæmorrhagies of the arterial kind.”

Igitur non multum ab ea sententia abhorreo,  
 qua hæmorrhagiam intestinalem, quæ in Melæna  
 accidit, pariter & vicissim aut arteriosam aut veno-  
 sam, aut utramque simul esse posse statueretur. Sed  
 mox causas remotas investigando clarius patebit,  
 quænam ex his duabus sæpius obtinere debeat.

## C A U S Æ R E M O T Æ.

### 1º. PRÆDISPONENTES.

Prædispositio ad Melænam nihil aliud esse potest,  
 quam plethora venosa totius systematis, & præsertim  
 vasorum abdominalium, cum debilitate universali:  
 causæ vero prædisponentes, quidquid hanc du-

x) V. First lines N. 769. 770 — 1027.

plicem corporis conditionem vel inducit vel auget. Multas hujus generis causas jam attigimus; cum ante obseruavimus, Melænam veram & idiopathicam viros præ fœminis, & inter viros illos præfertim adoriri, qui ultra constantem ætatem progressi sunt y), apud quos plethora venosa jam incepit aut viget; qui hæmorrhoidibus jampridem vexantur; qui diuturnis ærumnis, ægritudinibus, mœrore, melancholia laboraverunt; morbos graves passi sunt; qui nimio labore aut studio aut parco pauperrimoque vietu effœti aut extenuati fuerunt; aut in locis humilibus angustis & humidis vitam degunt.

---

y) Memoria bene tenendum est. 1) Quod ratio sanguinis venosi ad arteriosum circa 35 ann. aut 40, omnino mutetur. In infantia enim, & adolescentia parietes venarum parietibus arteriarum validiores sunt. Hinc plethora arteriosa, incremento tam necessaria. Porro, circa 35 vel 40 annum arteriarum parietes venarum parietibus validiores evadunt, tuncque incipit plethora venosa, quæ viam sternit ad hæmorrhoides & Melænam. 2) In omnium fere animantium masculis, venæ arteriis comparatæ capaciores & debiliores sunt, quam in fœminis ejusdem speciei. Quod in hominibus evidentius patet, hinc viri nostræ speciei plethoræ venosæ & morbis ex ea fluentibus magis sunt quam fœminæ obnoxii. V. GREGORY *Consp. theor. med.* V. 1. cap. 15. p. 239. CULLEN *First lines* N. 735. HEISTER *C. anat. de Aorta* p. 158. Denique ratio sanguinis arteriosi & venosi, pro variis vitæ temporibus, sic se habet. Plethora arteriosa, in infantia, primum ad caput fertur & deinde ad reliquias corporis partes: circa pubertatem, ad pelvem & partes genitales; intra 15 & 20 ann. ad pectus. Plethora venosa circa 35 incipit; & tunc, primum ad venam portarum, postea ad totum abdomen extenditur, & rursus ad pectus, tandem in senectute caput infestat.

Cum, inquam, proxima Melænæ caufa fit hæmorrhagia intestinorum passiva: prædispositio corporis nil aliud esse potest, quam universa debilitas: quæ major in vasis abdominalibus, maxima fit in omni venæ portarum systemate & arteriis mesaraicis, ex quibus hæc oritur.

Porro, nihil magis ad hanc debilitatem & producendam & augendam confert, quam plethora venosa diuturna, & maximæ frequentesque congeſtiones in omni venæ portarum systemate. Tum enim vasa illa fæpe & diu distenta & ampliata tonum suum remittunt & relaxantur, (unde nascitur affidua & inhærens debilitas) & ad novas congeſtiones magna opportunitas.

Jam vero caufæ quæ hanc plethoram opportunitatemque fæpe fæpius producunt sunt ut jam dixi: sexus masculinus, ætas confirmata aut provectior, temperies melancholica & hæmorrhoidalis, vita sedentaria, aut ærumnæ, mœrores diuturni, graviores animi curæ, perturbationes aut pathemata deprimentia; morbi diuturni, immoderatæ vigiliæ, studia, profluvia, voluptatum abusus; in universum, quidquid corpus sensim & sive directe sive indirecte debilitat, fanguinis circuitum retardat & præcipue quidquid lienem & jecur infarcit & obſtruit. Cum enim hoc vitio laborant lien & jecur, reditus fanguinis venosi ex vasis ventriculi & venæ portarum ramis impeditur; ille congeritur in his

vasis; quæ congeftio simul cum universa debilitate viam parat ad hæmorrhagias ideoque ad Melænam.

*2º. C. EXCITANTES SIVE OCCASIONALES.*

Nunc vero si superiori prædispositioni, id est, diathesi asthenicæ diuturnæ, & in vasis abdominalibus maximæ, simul cum magnis & crebris totius venæ portarum systematis congestionibus, accedat quæcumque caufa excitans, ut subitum debilitatis, aut plethoræ, aut utriusque incrementum: necessario & illico confequetur hæmorrhagia intestinalis.

*Caufæ excitantes* igitur erunt:

*1º. Quidquid prædispositioni aut debilitati sæpius directæ, indirectam addit z);* ut maximæ animi perturbationes & pathemata, summi dolores, inflammations, crapula, Veneris subitus & immanis abufus, pertinaces alvi adftrictiones, enormis corporis exercitatio, &c.

*2º. Quidquid (cum jam adeſt summa plethora, sanguinis affluxus versus inferiora venæ portarum, harumque partium irritatio) debilitatem directam, subito & multum, auget & animi corporisque vires proſternit; ut maximi terrores, nuncii acerbifſimi, subitæ exinanitiones, profluviis aut venæſectionibus, catharticis & emeticis validiſſimis induitæ.*

---

*z) Per debilitatem directam intelligo detractionem & defecitum ſtimulorum, quibus vita peragit; ut ſanguis, nutrimenta, ſemen, aér purus, exercitium, calor & per indirectam debilitatem, exceſſus & abufus cujuscumque ſtimuli.*

3°. Plethora magna & subita vasorum abdominalium, ex suppressione solitarum sanguinis evacuationum, (hæmorrhoidum videlicet, menstruorum, fluoris albi &c.) ex metastasi, crapula, aut ex pigritia, motus abstinentia, nimio somno, frigore intenso & diurno &c. denique Veneris abusu statim post largam cœnam. Tunc enim adeſt plethora universalis; adeſt etiam plethora abdominalis ex affluxu sanguinis pelvim versus adhuc aucto, pressione ingestorum in parietes intestinalium quos irritant; denique duplex debilitas debilitati jam præexistenti superaddita; scilicet, debilitas indirecta ex abusu stimuli amoris, & directa seminis detractione. Quis igitur negabit, tam justis causis Melænam oriri posse; aut non mirabitur potius, illam non ſæpius accidere?

### EXPLICATIO CAUSARUM ET SYMPTOMATUM RATIONIS ET NEXUS.

Nunc in memoriam revocandæ sunt quæſtiones ante propositæ.

Adeſt igitur in Melæna hæmorrhagia passiva vasculorum in ultima canalis intestinalis superficie repentium. Hæc hæmorrhagia oritur, vel ex debilitate vasorum abdominalium propria & indirecta, debilitati totius systematis præexistenti superaddita: vel ex debilitate directa & subita horum vasorum, eidem universalis debilitati præexistenti, superad-

dita: vel ex plethora magna & subita eorundem vasorum, eidem præexistenti universæ debilitati superinducta.

Nunc vero quomodo sanguis, his circumstantiis, in cavum intestinorum effunditur? *an per vasorum erosionem?* *aut transfudationem?* *aut rupturam?* *aut anastomosin?*

Profecto, *non per erosionem*. Nisi præexistente alicujus visceris ulcere, aut venenis acribusque ingestis; quod statim acutissimo dolore cognoscetur, qui Melænam symptomaticam adesse significaret.

*Non per transfudationem*, (ut afferit D. VARNIER a). Nihil, in animali vivente, per tunicas transfudat: v. *experimenta & argumenta* D. CRUIKSHANK in *tractatu suo: The anatomy of the absorbent vessels. London 1786.*

*Non per rupturam*; (etsi illud non impossibile videatur) nam 1º. ægrotans aliquem dolorem experiretur, huic prorsus similem, qui in hæmorrhoidibus existit. 2º. Natura nunquam periculofo modo violentoque facit, quod alio tuiori atque simpliciori obtainere potest. Porro, quis non videt, præexistente jam vasorum exhalantium relaxatione, anastomosin cum pathologicam tum physiologicam, viam esse & tutissimam & simplicissimam, qua sanguis effundatur?

Enimvero jam præexistente plethora corporis universali, assiduisque totius venæ portarum systematis & iteratis sœpe congestionibus; si altera nova & subita universalis debilitas vel directa vel indirecta accedit, tunc languescit cordis suctus *b)* ascensioni sanguinis per ramos venæ portarum tam utilis & nefarius, delabitur proprio suo pondere sanguis ille venosus nullis obstantibus valvulis, ad extremos venæ portarum ramulos, arteriasque continuas; ibi accumulatur, parietes horum vasculorum irritat, hucque continuum sanguinis affluxum excitat & congestiones, quibus hi magis ac magis ampliantur & relaxantur; sanguis arteriosus, qui venoso est citior,

---

*b)* Cor musculus est omnium validissimus, torosus, maxime elasticus & irritabilis, naturæ sphincterum accedit, & diastole est ejus naturalis status (omnia enim animantia in diastole moriuntur) postquam quocumque stimulo contractus fuit, reddit statim propria sua elasticitate ad pristinum statum & vi contractioni proportionata; porro multifariis robustisque fibris ita est religatus & compactus, ut cum contrahitur, quidquid capiebat, profecto exprimatur. Igitur cum e contractione ad diastolem reddit; fit vacuum perfectum & modo antliæ aut foliis ad se attrahit quidquid fluidi in auriculis erat. Ipsæ auriculæ pari modo attrahunt sanguinem ex venis pulmonalibus & venis cavis, cordisque suctus validissime in venam cavam agit; ergo etiam in venas cavae hepaticas, ergo in ramos venæ portarum ipsis continuos; ergo in truncum & cæteros venæ portarum ramos; ergo indefinenter & revera haurit & fugit cor sanguinem venæ portarum, qui hoc suctu attractus & cursu continuo elevatus, a ramis inferioribus venæ portarum sursum ad cor tendit. Ergo imminuta cordis actione, aut de repente intermissa, ut in animi deliquiis accidit, sanguis ille venæ portarum, proprio suo pondere inferiora versus refluere debet.

inveniens in congestione sanguinis venosi obstaculum insuperabile, nec longe retro fluere permisus cogitur per proxima exhalantia jam ampliata exire & in canalem intestinalem defluere; sicque sanguis primum per anastomosin emissus, *arteriosus est*. At refluus ille & retrogradus sanguis mox post se trahit sanguinem venosum qui nullis obstantibus (ut jam dixi) valvulis, uno tenore sequitur & qua data porta, simul cum sanguine arterioso delabitur. Incipit igitur cursus sanguinis venosi inversus & retrogradus fieri in extremis venæ portarum ramusculis; unde, languescente cordis actione, sursumque sanguinis venosi attractione, aut penitus intermissa, ut in animi deliquiis, magna copia defluit ille & quasi impetu fertur ad extremos venæ portarum ramusclos. Ex quibus intelligitur, cur in Melæna secessus sanguinis semper animi deliquia aut summam debilitatem immediate sequantur.

Uno verbo, ponite justam causam quamlibet, quæ aut universalem debilitatem totius systematis aut plethoram venosam sive universalem, sive venæ portarum & localem, aut denique vasorum intestinalium irritationem maxime adaugeat; sequatur illi-  
co necesse est hæc hæmorrhagia passiva, quæ Melænam cum omnibus suis symptomatibus inducit. Hæc hæmorrhagia passiva, tam arteriosa quam venosa erit; imo prior alteri præbit.

In hoc nobiscum Cl. CULLEN consentire videtur

Nº. 1489. „ thus (ait) the blood-vessels on the internal surface of the intestines may be opened by erosion, rupture and anastomosis, and pour into cavity their blood, which, either by its quantity, or by acrimony, whether inherent or acquired by stagnation, may sometimes give a diarrhoea evacuating blood. This is what, I think, happens in that disease which has been called the *Melæna ou morbus niger.*

Si quis autem putaret, me, temere & sine jure, arteriarum relaxationem, tanquam hæmorrhagiæ in Melænæ accidentis causam dedisse; possem statim in medium proferre innumera exempla, non solum ex iis morbis desumpta, in quibus existente diathesi asthenica summa cum sanguinis dissolutione conjuncta, sanguis evidentissime ex relaxatis exhalantibus effluxit c), sed etiam multa alia magis admiranda, in quibus, sine ulla apparente debilitate, sine ulla notabili plethora, ullove præcedenti morbo, sanguis ex arteriis ultiro effluit, sive ut defectui alicujus evacuationis periodicæ succurrat, aut alia de causa latente. Quis nescit, virgines deficientibus catameniis aut suppressis haud raro hæmorrhagias vicarias in diversis corporis partibus habuisse, & per illas quasi

c) V. g. in omnibus petechiis, cum aut absque febre, in ecchymosibus, maculis scorbutorum & hæmorrhagiis, in iis etiam sanguinis profluviis quæ sub sinem gravissimorum ex debilitate morborum, variolarum confluentium, typhorum, accidentunt, &c.

menstruasse. Sanguinem scilicet periodice & sponte ex exhalantibus pulmonum, canthis oculorum, extremitatibus digitorum manus, pedum, aliarumve corporis partium effluxisse; illoque sanguine effluxo, nulla vel ruptura vel apertura quæcumque in iis partibus ex quibus effluxerat, percipi poterat. Duo hujus generis exempla hieme proxime elapsa in nosocomio hujus urbis extiterunt. Duæ puellæ, absentibus catameniis menstruabant, una per pulmones, altera per canthos oculorum.

Mecum sentit D. LAMBSMA (*opere citat. pag. 106.*)  
 „ facile autem , ait , confortium vasorum quæ in utero & intestinis posita sunt, ut sanguis modo hac,  
 „ modo illa parte erumpat efficit ”, & cum ibidem plurima referat exempla ex scriptoribus quos ego nec facultatem nec tempus singulos videndi habui,  
 liceat quædam illorum hic exscribere : „ Rustica  
 „ a partu semel tantummodo menstruis purgata , dein  
 „ tempore quo ea ante provenire solebant , *alvi pro-*  
 „ *fusionem* , quæ plerumque intra duos , interdum in-  
 „ tra plures dies sponte cessabat , cum *iisdem signis*  
 „ habuit , quibus antea sibi & vulgo aliis mulieribus  
 „ sanguis ex utero fluere affuevit d).

Virgo,

---

d) CULLEN (cap. cit. n. 1021.) putat causam excitantem, in his casibus, esse propriam peculiaremque partis unde fluit sanguis, prædispositionem, qua sanguinis affluxus hanc partem versus cietur. Meo quidem judicio hæc prædispositio nil aliud esse potest, quam major & singularis partis debilitas &

Virgo pestilenti profluvio sanguinis ægra, *cum*  
 „*menstrua octiduo citius subito prorupissent*, mox  
 „altero die, tormina pene evasit, tertioque jam  
 „fanata fuit e)”. Contendit etiam ibidem egregius  
 autor, non opus esse causas harum hæmorrhagiarum  
 intestinalium multiplicare, cum sanguis ex vasibus quæ  
 in intestina hiant, vel minimum ampliatis & relaxatis  
 defluere possit. Enimvero impeditus sanguis ut sese,  
 imperante natura, citius expedit, notos exitus petit  
 & qua data porta ruit. Imo & interdum summæ cu-  
 tis exhalantia ita relaxantur, ut ipse ruber & flori-  
 dus arteriosus sanguis effluat. Narrat postea idem  
 autor, casus duos, unum ex SCHWENCK. v. *Sang.*  
*hist.* p. 130. Puellæ 15 annos natæ, quæ sudorem  
 sanguinis universalem & periodicum per 5 annos  
 experta est: alterum (ex HILDAN. *Cent.* 6. *Obs.* 76.)  
 Juvenis cuiusdam, qui postquam exercitatione & vi-  
 no incaluerat, sanguinis guttas primo e gingivis, dein  
 ex omni superficie corporis emisit. „Et interdum,  
 „addit, statu tempore, sanguis mingitur, non vitia-  
 „to rene”.

Multa etiam exempla hujus generis & præclara-  
 tum a se tum ab aliis vilâ (quæ fines hujus operis  
 exscribere non finunt) refert v. SWIETEN *in Comm.*

irritabilitas: quod evidentissime patet in gingivis scorbutico-  
 rum, & in isto molesto narium pruritu qui epistaxes antecedit.

e) *Miscell. Nat. Cur.* dec. 2. ann. 5. p. 108. dec. 3. ann. 1.  
 p. 106. EAGLIV. L. 1. p. 110. BARTHOL. *Hist. anat.* 3.  
*Obs.* p. 19.

*Juis in Aphor.* BOERH. 1286. „ Sæpe observatum fuit,  
 „ ait ille, *loco cit.* æstivis caloribus per validos labo-  
 „ res sudorem expressum rubro colore maculasse in-  
 „ dusia, maxime circa axillas; ibi enim *major ca-*  
 „ *lor,* maximaque exhalantium *relaxatio.*

Ego novi egregium & heu nimis infelicem adolescentem, temperiei sanguineæ, dilectissimi amici mei celeb. PFEFFEL alumnum, qui initio anni 1777, cum ipse annum 19 ageret, nulla cognita causa, sanguinem omnem suum simul cum vita intra paucos dies mifere exfudavit.

Puerum etiam 11 annos natum vidi celeb. D. SPIELMANN f), qui sine ulla cognita causa, petechiis vexatus & epistaxi iterata, tandem intra paucos dies vitam cum sanguine amisit.

Igitur recte concludere possumus hæmorrhagiam Melænæ passivam, non ex extremitatibus venæ portarum dilatatis aut ruptis fieri, ut contendunt D. BONTÉ, VARNIER, BAUMES &c. sed sanguinem venæ portarum simul cum pauxillo sanguinis arteriosi per arterias exhalantes dilatatas & relaxatas intra cavum intestinorum delabi. Cum ergo, plethora venosa universalis & abdominalis simul cum aliis causis jam recensitis, arterias illas ad hæmorrhagiam passivam prædisposuerunt g) accendentibus causis excitantibus,

f) V. *Diff.* D. RÖRBER *jam citat.* p. 11.

g) Celeberrim. HOME observavit in epicrisi sua, quod in suis ægrotantibus, affectiones morbosæ canalis intestinalis, Anore-

statim oritur hæmorrhagia quæ causam Melænæ proximam, constituit. Nunc vero, si sanguis ille effusus aliquandiu intra cavum intestinorum, alvi adstringione quæ fere semper præcedit, retineatur, mox & colorem & fœtorem & putredinem contrahet, quas in Melæna exhibet.

Hæc vero historia Centurionis *h)* illustrantur & recte explicantur. Enimvero arbitror uxorem quam nuperrime duxerat, causam prædisponentem posuisse, (videlicet directam debilitatem) illumique effœtum similique dimicationi viribus imparem iter suscepisse; quod pallidus color collapsique vultus fatis declarabant. Porro puellam causam excitantem sat justam fuisse, quis dubitet? Cum igitur statim post largam cœnam, in qua Baccho & Cereri laute indulserat, Veneri longe nimis impense litaret, crapulam super crapulam addens, debilitatemque directam super indirectam, in duplicem summamque astheniam subito non potuit non incidere. Primum sanguis Baccho & Venere citatus, in partes genitales pelvim & cavum intestinorum, quæ tum cibis acribus copiosis & crudis irritabantur, magno impetu ferebatur; tuno superveniente hac debilitate tonique resolutione quæ nimium coitum sequuntur, per exhalantia intestinorum dilatata laxiora & quasi resoluta, in cavum

xia, Dyspepsia, Nausea, Vomitus omniaque debilitatis signa morbi eruptionem antecesserunt.

*h)* V. Obs. 29. p. 25.

defluxit sanguis, ubi per fæces induratas retentus putridus evasit & mox omnia Melænæ phænomena induxit.

Profecto inter phænomena Melænæ essentialia primas tenent hæc singularis ad syncopen proclivitas & crebra animi deliquia. Signum explicatu difficillimum & crux pathologicorum. Unde, ait, FR. HOFFMANN, „ animi deliquia , quæ in aliis sanguinis pro- „ fluiis longe majoribus non eveniant? Anne pu- „ tredini sanguinis in nervos agentis tribuenda? effe- „ ctus , sphacelo partium tantum externarum lethali „ similis ? „

Omnes fere medici qui post eum de hoc morbo scripferunt, sententiam ejus amplexi sunt, jurantes in verba magistri. Celeberr. HOME idem etiam sentit. Evidem fateor signum illud aliquid mirandum & omnino singulare præ se ferre. Vidi enim in nosocomiis Parisiniis, Scotiæ, Angliæ & Germaniæ & hujus urbis, multos phthisi confirmata laborantes, qui longe majorem sanguinis copiam, quam in morbo nostro, & pluries de die amittebant, quique tamen nihil hujuscce debilitatis & ad syncopen proclivitatis habebant. Vidi in Edinensi nosocomio mulierem quæ infelici casu abortum passa est; facta larga venæfessione, pulsus fiebat in dies crebrior & ita debilis, ut vix nisi admota pectori manu percipetur, post septem dies duos gemellos enixa illico amplissimis ecchymosibus cooperta immani men-

rhagia intra viginti quatuor horas enecata fuit. Attamen sub tanta debilitate, nulla nisi in articulo mortis animi deliquia passa est. Vidi hyeme proxime elapsa cum illustr. meo præceptore D. SPIELMANN infantem recens natum, qui sanguine per os & anum indefinenter fluente intra duos dies enecatus est: veram Melænam dixisses, nisi sanguis ruber & floridus, inodorus fuisset; & *præterea nullum patiebatur animi deliquium.*

An igitur hæc animi deliquia revera, putredini sanguinis in nervos intestinorum agenti tribuenda? Aut absorptioni ejusdem sanguinis qui deinde omnes humores vitians in cerebrum & totum systema nervosum ageret? Aut nonne animi deliquia potiori jure causas quam effectus sanguinis effusi diceremus? Si meo arbitrio liceret tantas lites componere; vellem animi deliquia frequentesque sanguinis effusiones ut effectum proximum summæ astheniæ habere, quæ præcipuus & essentialis character Melænae mihi videtur. Video enim hunc morbum ex nullis quam debilitantibus causis conflatum esse; video multas diversi generis debilitates in hoc producendo conspirare: ita ut morbus ipse nil aliud sit (si ita loqui fas est), quam quædam singularis, multiplex & complexa debilitas, quæ quum ad sumnum gradum omnibus justis causis pervenit, omnia Melæna phænomena inducit. Cum in hac conjectura hærerem; fors novum mihi argumentum obtulit, quo cer-

tior adhuc fieri mihi videor. Cum diatribe hæc mea pene jam conscripta sub prelo fudaret, monitus ab humanissimo CLAUSING patrem ejus ægrotantem habere, quam morbo nostro laborare suscipietur. Statim ad domum hujus mulieris una cum illo contendi. Reperi in tugurio parvo, angusto, humido, mulierem circiter 52 annos natam, temperie melancholicæ lectoçue affixam: conquerebatur de dolore & laffitudine crurum, maxima debilitate, anorexia, siti; oris color pallidus & luridus erat, vultus satis collapsus, pulsus debilis, paulum contractus, qui si digito premeretur, plenus aliquo fluido ægre fluente videretur, nec tamen duriter respondebat; pulsabat per singula minuta 72: ne minimum quidem febris vestigium, lingua humida, alba, non nimis impura, abdomen molle & absque dolore. Morbus sensim & nulla apparente causa adrepserat. Nempe tribus hebdomadibus ante molestiam in regione cardiaca & in hypochondriis sentire cœpit cum sensu caloris & cujusdam globi hytterici, cibi appetitus & vires sensim decreverunt. Quinto die hujus mensis sepe pejus habens, D. CLAUSING accersivit, qui hæc symptomata guttis anodynis mineralibus HOFFM. paululum pacavit, postera die postquam clysmata receperat magnam vim sanguinis in grumos coacti alvo depositi absque ullo dolore & quasi infacia, mox qua animi deliquia passa est. Aceto faccharo edulcorato & Citri pomorum succo dejec-

ctiones sanguineæ suppressæ sunt. Illam per octo dies bis de die invisi, ipsique primum acida vegetabilia, postea eccoprotica cum manna & tamarindis, deinde bis emetica fuasi. Præterea duo clysmata cum chamomilla quotidie recepit & jufcula & paululum vini etiam sumpsit. Nullas amplius sanguineas dejectiones habuit, nec de ulla alia re conquerebatur præter ructus, molestiam ventriculi, crurum lassitudinem & universalem debilitatem. Pulsus a 72 ad 80 ibat & redibat debilis, regularis. Calor naturalis & ne minimum febris signum. Uno verbo, nullum aliud signum morbosum detegere potui, præter magnam assiduumque debilitatem, quam signum Melænæ constantius & effentiale esse semper eram suspicatus. Nullam etiam aliam causam prædisponentem investigare potui præter plethoram venofam & causas debilitantes. Enimvero hæc mulier annos circiter 52 nata tenui pauperrimoque victu utitur, vitam agit umbratilem & uti jam dictum, casa quam habitat angusta, humilis & valde humida est.

### D E P R O G N O S I.

In Melænis symptomaticis semper infausta. Enimvero cum illarum causa fere semper sit gravis alicujus visceris læsio, ut obstrunctiones, scirrhi, ulcera &c. omnes fere sunt infanabiles, nec ullam præter palliativam curandi methodum ferræ possunt.

**I N MELÆNIS IDIOPATHICIS** prognosis omnino eru-

enda est ex ætate & temperamento ægrotantis & indeole causarum tum proximæ tum remotarum. Et cum hæ sæpe sæpius obscuræ sint, prognosis in universum dubia & incerta est. A plurimis scriptoribus infausta habetur. RIVERIUS i) ex multis pueris fluxu sanguineo laborantibus unicum curatum vidit. LAMBSMA (*op. jam cit. p. 112.*) autoritate multorum scriptorum quas ibi recenset fretus, arbitratur omnia sanguinis profluvia, in quibuscumque morbis magnis, ut ictero, febribus, peste, scorbuto, &c. existiofa.

Valde infaustam prognosin in Melæna pronuntiat FRID. HOFFMANN (*Jaco citat.*) celeb. HOME Melænam symptomaticam semper lethalem opinatur, sed prognosin in Melæna idiopathica quam spontaneam appellavimus faustam esse arbitratur: denique addere vellem in gratiam eorum qui pertinaciter in verba solius HIPPOCRATIS jurare solent, quod ille omnes quacumque nigra dejectione laborantes ad orcum demittit. „ Dejectiones nigræ, ait, qualis est fanguis „ niger, sive cum febre, sive sine febre, pessimæ; „ vomitio, si porracea livida aut nigra fuerit, mala. „ Omnis subputris ac foetidus odor in omni vomitione malus, & *libro 4º. aphor.*, ait, quibuscumque ex morbis acutis aut diuturnis vel ex vulneribus, sive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis,

---

i) RIVERII *Cent. 1. Obs. p. 486.*

„five sanguis niger desuper exierit, POSTRIDIE MORIATUR”. At recentiores feliciter judicium resciderunt. Nihil profecto nisi ex causis remotis bene cognitis certo decerni potest, & prognosis varia pro variis causis esse debet. Et nemo unquam sanus ita audacter mortem in sequentem diem vaticinabitur, nisi cum HIPPOCRATE somniet <sup>k)</sup>, aut magnetismi animalis novo isto numine affletur.

Experientia constat prognosin in Melæna spontanea *faustum* esse, nisi ægrotans corpore imbecillo sit & non fano, aut symptomata morbi solito graviora. *Ancipitem* in secunda specie aut *pathetica* ex magnis animi perturbationibus, aut cum lateat aliqua causa moralis. *Infaustum* in . . . tertia specie, *crapulosa*. *Ominis aliquanto melioris* in quarta specie seu *libidinosa*. *Sat bona* in quinta specie seu *plethora*, siquidem adest spes brevi recuperandæ sanitatis, revocatis evacuationibus suppressis. *Valde infausta* in sexta specie seu *gravissima*, cum ægrotantes jam effæti sint & fracti morbis diuturnis aut acutis gravissimis, nec ulla fere spes salutis, si sub iis morbis v. g. variolis, typho, scorbuto, peste, &c. a Melæna corripiuntur. In iis aut simili bus casibus tam magnus vates esse possem ac ipse

<sup>k)</sup> V. HIPPOCR. Epist. ad Philop. ubi ait se in somnio valitudinem DEMOCRITI vidisse: „ atque hæc vera esse, mihi Philop. credo & sunt sane & non contemno somnia . . . Medicina autem & vaticinatio cognatae sunt.

HIPPOCRATES & vel somnians vel exergiscens tanquam ex tripode mortem prænuntiare.

In universum, *prognosis pessimi ominis* erit, quotiescumque aderunt symptomata gravissima, debilitas summa, crebra animi deliquia, pulsus tam debilis post dejectiones quam ante, & materies rejectæ copiosissimæ & fœtidissimæ. Dum e contrario *ominis erit faustissimi*, si dejectionum copia, color & fœtor minuuntur, pulsus validior evadit, redeunt vires, cibi appetitus, oris nativus color; uno verbo cum omnia convalescentis valetudinis signa mature prodeunt & quotidie confirmantur.

## SECTIO IV. ET ULTIMA.

### DE CURANDI METHODO.

1º. IN SYMPTOMATICIS MELÆNIS, generali & communi curandi metodo alteram addere oportet quæ læsionibus & morbo viscerum locali sit accommodata: & si morbi illi insanabiles videntur, methodum mere palliativam.

2º. IN IDIOPATHICIS oportet, ut in omnibus aliis morbis *primum causas excitantes removere*, *deinde causam proximam aggredi*, *postremum causam prædisponentem funditus eradicare*; nec ut vulgus Medicorum, communem eandemque curandi methodum in omnibus individuis adhibere, sed metodo generali omnes addere modos quos in unaquaque

specie, causæ excitantes & haud raro etiam prædisponentes postulare videntur.

Igitur in quacumque Melænæ specie 1º. TRES AD SUNT GENERALES & communes indicationes. Vide licet, *prima* Debilitati locali vasorum intestinorum occurrere, dum simul interea universali totius systematis debilitati mederis. *Secunda* plethoram venosam, si vires ægrotantis finunt, minuere. *Tertia* sanguinem intra cavum intestinorum effusum & putrefactum quam citissime foras expellere, ne longiori mora, aut irritando hæmorrhagiam adaugeat, aut reabsorptus magis adhuc noceat. 2º. HIS INDICATIONIBUS, OMNIBUS SPECIEBUS COMMUNIBUS, oportet in unoquoque individuo alias indicationes illius causis designatas subjungere, (excepta Melæna spontanea in qua tres generales indicationes fere semper satisfaciunt) v. g. in *secunda* seu PATHETICA, omnibus antispasmodicis & sopientibus cum physicis tum moralibus corpus & animum sedare: in *tertia* sive CRAPULOSA, dum alvus clysmatibus & levissimis eccoproticis evacuatur & solvit, vires apto cibo & cardiacis vino &c. caute fovere, sustentare & illas sufficientibus stimulantibus excitare, quæ quotidie gradatim minuuntur. Præ omnibus, omni cura venæ fæctionem & quidquid debilitatem inducere potest, ut lethiferum vitare. In *quarta* specie seu LIBIDINOSA vires quiete, nutrimento, lenibus cardiacis quam citissime refocillare, illasque stimulantibus primum

lenibus, post sensim adauctis excitare. In *quinta* specie seu PLETHORICA statim evacuationes suppressas revocare, aut sanguinis detractione locali, ope cucurbitularum & hirudinum illas imitari & supplerre. In *sexta* seu GRAVISSIMA debilitati & dissolutioni protinus occurrere validissimis antisepticis, ut opio, cortice peruviano, cardiacis, stimulantibus variis alternatim adhibitis, sed nutrimento etiam grato & aptissimo junctis.

Omnes omnino Medici, qui de hoc morbo scriperunt, auxilia quæ alvum solvunt & sanguinem effusum foras expellunt, omnibus aliis indicatis postponunt: quasi non brevius & tutius esset, sanguinem illum putrefactum & tam nocivum citissime & ante omnia clysmatibus tonicis simul & antisepticis, v. g. infuso chamomillæ, serpentariæ virginianæ & aceto aqua diluto, foras expellere. Plerique præterea & debilitatem localem quæ inter causas excitan tes primas tenet & debilitatem universalem quæ causarum prædisponentium præcipua est, multo nimis neglexerunt.

FRID. HOFFMANN (*Med. rat. syst. loco citat. p. 7.*) nil aliud fere præter emulsiones, sedantia & epithemata adhibuit; quasi hæmorrhagia non passiva sed activa fuisset, nec etiam prospere cessit. Pudet me curandi methodum ab illo celeb. & pene divino Medico in *Diffrert. citata* propositam hic exscribere, quæ sic se habet „pulveres bezoardici cum nitro &

„camphora cum floribus sambuci, cardui benedicti,  
 „scabiosa, dens hippopotami, unicornu, ungula  
 „alcis, lapis manati, theriaca cœlestis”. Quibus si  
 addere velis leporum talos, mumiam Ægyptiacam,  
 album græcum, seu stercora canis albida, & stercora  
 murium pulverisata de quibus tam facete jocatur  
 MONTAIGNE, notionem tibi informare poteris horum  
 temporum materiæ medicæ.

GASSER (*Dissert. cit. p. 7.*) in auxiliis secundæ suæ  
 indicationi respondentibus, remedia jam a FRIDER.  
 HOFFMANN. allata recipit & modo magis incongruo,  
 1°. Enim omnia acida vegetabilia & mineralia pro-  
 ponit; post vero omnia alkalina, utriusque generis  
 remedia intra idem tempus, scilicet intra paroxys-  
 mum suadet.

GESNER vero (*in opere cit. p. 7.*) acida, nescio qua  
 de causa rejicit, omnibusque auxiliis saponem vene-  
 tum, magnesiam & alkalina anteponit.

Omnes Medici, quorum observationes in *Journal de Med.* descriptæ sunt, pro basi suæ curandi metho-  
 di acida, modo mineralia modo vegetabilia, sumpse-  
 runt, & illa ut specifica in morbo nostro habent.  
 Porro non inutile est observare, omnes fere Melæ-  
 nas, in quibus acida tam feliciter succeſſerunt, ad  
 speciem spontaneam referendas esse, in qua maxima  
 pars morbi in debilitate universali & exhalantium re-  
 laxatione conſtat. Tantum abeft ut cum illis medi-  
 cis credam acida illa tanquam antiseptica opitulata

esse, ut contra persuadear, illa non nisi ut tonica  
 analeptica & leviter adstringentia morbum levasse.  
 Vera & sola antiseptica fuerunt clysmata, eccoprotica  
 &c. cum scilicet sanguinem effusum & putrescentem  
 foras expulerunt. Igitur horum curandi methodus  
 sola morbo satisfacere mihi videtur, in Melæna  
 spontanea; ea constat in cardiacis, acidis, succo li-  
 monum, aqua rabeliana, decocto levi serpentariæ  
 virginianæ, gelatina cornu cervi acidulata, infuso  
 florum chamomillæ, eccoproticis lenibus ut tamarini-  
 dis, manna vino acidulata, aqua cassiæ acidulata &c.  
 Lubenterque fateor hanc curandi methodum, in ple-  
 risque speciebus adhibendam esse, utpote quæ ge-  
 neralibus & communibus indicationibus satisfaciat.  
 At vero in multis speciebus & in plerisque individuis  
 omnino insufficiens est, nec omnibus effentialibus  
 indicationibus satisfacit. Hoc evidenter patet ex mul-  
 tis aliis auxiliis quæ illi in variis casibus, cum exitu  
 plus minusve felici tentaverunt. Nec mirum; cum  
 enim nullus unquam extiterit morbus generalis,  
 omnia illa tam præclara, tam prædicata & in contem-  
 platione specifica multorum morborum remedia, cum  
 ad praxim traducuntur, spem turpiter fallunt. Atta-  
 men non inficiar existere quædam symptomata ge-  
 nerica, causamque proximam omnibus fere specie-  
 bus communem; quibus ergo auxilia quædam com-  
 munia & quasi specifica accommodari possunt; & in  
 Melæna, acida hujus generis auxilia esse arbitror;

cæteris vero acidis vegetabilia merito anteponunt D. BRIEUDÉ & DU SAULSAY, inter hæc *acetum* palmam fibi vindicare mihi videtur: faltem feliciter successit in omnibus *spontaneæ* individuis & in plerisque speciebus a Gallis Medicis tractatis. Præterea aliquando satisfecit nullo aut fere nullo alio remedio adhibito ad morbum debellandum, præsertim in *spontanea* & leni & simplicissima. Experientissimus & candidus D. LOTTINGER, Medicus Saræburgenfis, mihi dixit, se plures Melænas vidisse, quas omnes ope folius aceti Saccharo edulcorati feliciter curavit. Medici vero Galli in quibusdam casibus ab iporum vulgari methodo paulum deflexerunt; nunc acidis jusculta e carne vitulina aut gallinacea, itentidem etiam jura concreta & glaciata, nunc cardiaca, tonica, amara, adstringentia valida jungebant. SAUVAGES suadet acida roborantia. D. VARNIER observavit, aquam rabelianam non nimis dilutam, animi deliquia statim tollere. D. RENARD coactus fuit cardiaca & adstringentia in auxilium vocare. D. CAMPARDON præter succum malorum limoniorum, ptifanam etiam adstringentem, sanguinem draconis, alumem & mel addidit. Nec cunctarer etiam idem facere, si præcipua indicatio juberet protinus exhalantium tonum intendere, eorumque hiantia ora contrahere. Idem sentit D. DU SAULSAY. Præterea D. BRIEUDÉ & CORDIER in Gallia, & D. HOME in Scotia, Venæfactionem instituerunt, & D. BRIEUDÉ afferere non

dubitat illam omnino necessariam esse: quod mihi temere dictum videtur. D. DU SAULSAY theriaca etiam cum successu usus est. D. CORDIER unam Melænam ope unius venæfæctionis & succorum ex vegetabilibus expressorum curavit: aliam etiam ope ptifanæ emollientis. D. BOUCHER cum ægrotantem sexagenariam haberet quæ recidiva Melæna laborabat, nec acida ferre poterat, illam mucilaginibus & manna vino acidulata curavit. D. COLOMBIER in fluxu, quem sanguineum vocat, sanguinis emissiōnem ope hirudinum recte suadet. D. BAUMES ægrotanti suo (v. p. 29.) post paroxysmum in prophylaxi terram foliatam ex basi alkali mineralis simul cum succis ex vegetabilibus præscripsit.

Videamus nunc, quid de his variis methodis sentiendum. Nunquam e memoria excidat, 1º. tribus indicationibus omnibus speciebus communibus satisfaciendum. Scilicet, 1º. sanguinem in cavum intestinalem effusum quam citissime foras expellere. 2º. hæmorrhagiam fistere & debilitati locali vasorum intestinalium simul & universali totius systematis occurrere. 3º. Plethoram venosam, si gravissima est, minuere, sanguinisque affluxum ad vasa abdominalia removere. Secundo præterea, remedia quæcunque indicationibus uniuscujusque speciei propriis accommodare.

Itaque auxilia quæ PRIMÆ INDICATIONI respondent, sunt clysmata nunc emollientia, nunc tonica, leviter

leviter stimulantia & antiseptica, eccoprotica acidulata & paululum tonica, ut Manna cum Tamarindis aut Rheo. *Remedia quæ SECUNDÆ INDICATIONI* satisfaciunt, sunt: 1º. acida tonica & leviter adstringentia, modo vegetabilia modo mineralia; hæc caute adhibenda sunt & mucilaginibus involvenda, v. g. Gummi arabico; enimvero debilitati & relaxationi exhalantium sæpe se comitem adjungit quædam eorum peculiaris irritatio, quæ sanguinis affluxum ad inferiora foveat. 2º. Cardiaca non irritantia, qualia sunt, Cortex peruvianus, vinum annosum & dulce, v. g. Hispanicum, Hungaricum, &c. nutrimenta blandissima ut juscula, cremores oryzæ, hordei, avenæ cum juribus cocta. *Remedia quæ TERTIÆ INDICATIONI* satisfacere videntur, sunt venæsectiones cum generales tum locales cæteraque evacuantia &c.

*Remedia præcipua*, quæ pro diversis circumstan-  
tiis addenda sunt, & de quibus adhuc inter medicos  
disputatur sunt.

1º. *Venæsectiones*; commendantur a DD. BRIEUDÉ AUBRELIQUE, GLATIGNY, HOME. Illas damnant DD. VARNIER, TISSOT &c. Certum est illas sæpe sæpius indoli morbi repugnare, & in omnibus fere speciebus periculofas esse; siquidem diathesis solita in hoc morbo sit summa debilitas. Attamen non negare vellem illas aliquando utiles fore, quum scilicet adest plethora venosa maxima, pulsus durus, validus &c. quod raro accidit, nisi in symptomatis & identi-

dem in quinta specie PLETHORICA dicta; & etiam in hoc ultimo casu, locales sanguinis detractiones generalibus anteponerem: *Primum*, Cucurbitulas cruentas regioni hypogastricæ aut umbilicali admoveri vellem, ut scilicet plethora abdominalis & irritatio exhalantium canalis intestinalis minueretur. *Deinde* hirudines ano aut partibus genitalibus, ut solitas evacuationes imitarer aut revocarem. *Postremum*, magnum emplastrum epipasticum bene camphoratum abdomen superimponerem, ut vires languidas fuscitarem, internam canalis intestinalis irritationem externa discuterem affluxumque sanguinis aliorum derivarem.

2º. *Emetica* ab omnibus fere scriptoribus repudiantur & celeb. HOME candide se se increpat, fateturque se emetica tribus suis ægrotantibus, cum illorum incommodo dedisse. Laudantur tamen a D. BRIEUDE & ipse Melænæ casum retulit, in quo unum emeticum magnam vim sanguinis coacti foras expulit, morbumque solvit. Evidem hac etiam mente ægrotanti meæ emetica duo fuasi, scilicet ut vires fuscitarentur & ventriculus simul cum alvo purgaretur. Idem remedium D. VANDERMONDE in Melæna plethorica feliciter successit. Nec miror & etiam affirmare non dubitarem, illud semper optimum exitum habiturum, recteque indicari in omnibus fere Melænæ idiopathicæ speciebus, ut vires omnium viscerum totiusque systematis prostratae excitentur. Quis

enim ignorat, quanto successu emetica in omni ventris fluxu exhibeantur, & Ipecacuanham in hæmorrhagiis uteri remedium esse quasi specificum? nunquam periculofum esse potest, nisi quando focus irritationis aut hæmorrhagiæ, vel in ventriculo existit vel in viciniis regionis cardiacæ. Sed casus illos valde infrequentes esse, vomitumque in Melæna semper alterius morbi symptoma esse mihi persuasum habeo. In hoc mecum sentire videtur celeb. CULLEN (*opere citat. n°. 1029.*): „ both, ait, in the case of the „ Melæna and in the analogous cases from the affection of the spleen or liver, it will appear that „ the vomitings of blood occurring, must be considered as symptomatic affections, not at all to be „ treated as a primary active hæmorrhagy but by „ remedies, if any such be known, that may resolve „ the primary obstructions. „

3º. *De Cardiacis*, quid dicat sagacissimus BERBILLON (*Diff. citat.*) fateor me non intelligere. Nec melius, quid sibi vult illustriss. TISSOT cum asseverat cardiaca in Melæna, non morbum sed ægrotantem jugulare; nisi per ea, calidissima validissimaque remedia intelligat. Sed profecto analeptica & grata cardiaca, qualia sunt vinum, elixir & decoctum corticis peruviani contrajervæ, cascarillæ, liquor anodynus HOFFM. aut æther vitriolicus &c. maximo cum commodo dari posse mihi videntur. Fatetur etiam paulo post ipse candidus BERBILLON cardiaca

aliquoties necessaria esse & tunc cum acidis maritanda & probe feligenda esse.

4º. *Catharticis* haud immerito substituuntur eccoprotica acidulata, præsertim si debilitas summa sit. At vero si vires non adeo fractæ sunt, si pulsus validior evaderet nec ullum foret irritationis intestinorum signum, catharticum unum aut duo adhiberi possent, ut sanguis effusus citius foras expelleretur; non diffiteor tamen tutius esse eccoproticis & clysmatibus alvum purgare.

5º. *Martialia* ab illuſtr. HALLER & TISSOT, præeunte KEMPFFIO omnino ut periculosa rejiciuntur. Sed qua de causa nescio. Nec ullum unquam novi morbum in quo, præmittendis præmissis, alvoque ante purgata, & utile magis & necessarium fit tonica & martialia, (dummodo tempestive & gradatim) adhibere; fatetur etiam D. BRIEUDE, se, illa bis cum exitu felicissimo præscripſisse.

6º. *Adstringentia* five mitiora, five validiora, non meliori jure & profecto absque ulla rei experientia a multis damnantur & ut periculosi arcentur. Nimis valida & potentissima recte repudiat D. VARNIER præfertim in initio morbi. Suadet adstringentia mitia GLATIGNY. Mitia & etiam fatis fortiora CORDIER. Valentiora D'ALLUSIUS. Et in quocunque alvi fluxu sanguinolento idem suadet ill. LAMBSMA: „ nec ullum „ remedium, ait, melius profuit, in omni simili „ casu, & in constitutione anni 1643 SYDENHAM de- „ scripto, quam spiritus vitrioli magna quantitate

„sumptus, quo sanguis reprimebatur & bono odore  
 „roborantia & adstringentia.” — Fines hujus dissertationis non finunt me singula ex ordine evolvere & explicare, quæ in variis Melænæ speciebus & varietatibus sunt observanda. Semper memoria tenendum est in Melæna ex gravi morbo oriunda aut cum tali morbo conjuncta, plus in hunc morbum respi-ciendum quam in Melænam. Si igitur morbus ille foret aut variolæ confluentes, aut typhus &c. anti-septica tonica ut vinum, cortex peruv. &c. si scorbutus antiscorbutica & tonica præ cæteris omnibus auxiliis eligenda sunt.

Nunc libenter perpendendo curandi methodum a D. HOME adhibitam perorare vellem, nisi jam ipse anxietatem suam & errores in arte tam difficili certo ignoscendos, cum liberali ingenuitate & admirabili candore confessus esset. Concedatur ergo mihi, hac oblata occasione, illi cæterisque Edinensibus professoribus (quorum mos est errores suos, discipulis suis fateri & explicare) tribuere quod CELSUS olim HIPPOCRATIS in laudem prædicabat: „Hoc scilicet „faciunt, more magnorum virorum & fiduciam „magnorum rerum habentium. Nam levia ingenia „quia nihil habent nihil sibi detrahunt.,, *Magno ingenio*, multaque nihilominus habituro *convenit* etiam *simplex veri erroris confessio*, præcipueque in eo Ministerio quod utilitatis causa posteris traditur: ne quis decipiatur eadem ratione qua quis ante deceptus est,

# *Index synopticus totius Dissertationis.*

## PRÆFATIO.

### SECTIO PRIMA.

<i>Narrationes morborum, conjectaria ex factis fluentia; generis plurimumque specierum definitio</i>	p. 1.
--	-------

<i>Epicrisis in primam observationem, synonymiae &amp;c.</i>	p. 5.
<i>Continuantur morborum narrationes</i>	p. 14.
<i>Conjectaria</i>	p. 38.
<i>Definitio generis &amp; aliquot specierum</i>	p. 35.

### SECTIO SECUNDA.

#### *Historia generalis & diagnosis.*

<i>Historia generalis</i>	p. 38.
<i>Diagnosis</i>	p. 42.

### SECTIO TERTIA.

#### *Causarum cum proximæ tum remotarum investigatio; earum ad signa sua rationes; denique prognosis.*

<i>Causa proxima</i>	p. 45.
<i>Sectiones cadaverum</i>	p. 48.
<i>Causæ remotæ</i>	p. 55.
1°. Prædisponentes	p. 55.
2°. Excitantes seu occasioneles	p. 58.

<i>Explicatio causarum &amp; symptomatum rationis &amp; nexus</i>	p. 59.
---	--------

<i>Prognosis</i>	p. 71.
------------------	--------

### SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

<i>Curandi Methodus</i>	p. 74.
-------------------------	--------